



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Philomathi Mvsae Ivveniles**

**Alexander <VII., Papst>**

**Coloniae Vbiorum [i. e. Amsterdam?], 1645**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12750**



NON  
IUS  
143  
MATHI  
VIII





Die Verbesserungen auf S. 16-22  
sind vermutlich von einem der  
von Ferdinand v. Fürstenberg an  
seinen Hof gehaltenen Historikern  
gemacht worden!

Die auf S. 42 und 62-127 gemach-  
ten Verbesserungen stammen  
von der Hand des Johannes Grot-  
haus S. J.

Th. 5844.

XVIII 2





Fit Legato Celsi Principis Ferdinandi  
Episcopi Paderb. et Monaster:  
Anno 1683.



Colonia Vbiorum,  
Apud Iodoc. Kalcovium  
et socios. c. 1534.

Poëmata hæc , omnium præconiis exornari,  
& sic prælum quoque subire, dignissima  
sunt. IV Kal. Septembr. CIO IOC XLV.

*Henricus Francken Sierstorpffius,  
SS. Theol. Doctör ; Metropolita-  
næ Colon. Presbyter Canoni-  
cus ; Gymnasii Laurent. Regens ;  
librorum Censor.*

*Prænobili Adolescenti,*  
FLAVIO CHISIO,  
MARI FILIO,  
FLAVII NEPOTI,

S. P. D.

WILHELMVS à FÜRSTENBERG,  
Canonicus Trevirensis & Monasteriensis.



*Quamquam ingenita nobilitatis tuæ in-  
doles, sedula parentum educatio, &  
domestica literarum, prudentia, ac  
pietatis exempla, satis te ad virtutem  
instruere possunt, Prænobilis Adolescens; patieris  
tamen & ab ignoto, & à remotis regionibus, ad  
eam capeffendam bene currenti tibi, sin minus sti-  
mulos, addi saltem acclamationes. Ex quo enim  
Germania nostra Illustrissimum ac Reverendissi-  
mum Patruum tuum suscepit, Fabium, Episcopum  
Neritonensem, in tractu Rhenano Ordinarium,  
nunc vero & in Westphalia, ad generalem pacem  
inter Principes conciliandam, Extraordinarium  
Apostolicum, cum facultate Legati de latere,  
Nuncium; tui notitiam non habere non potui, te-*

\* 2

que

## D E D I C A T I O .

*que non amare, quem ab ipso diligi imprimis, ejus-  
 que monitionibus ad magna dirigi quotidie scio, at-  
 que inflammari. Gemino igitur erga te studio pro-  
 pensus, audeo donare tibi, gratum, uti spero, mu-  
 nusculum lepidi libelli, collectum ex diversis carmi-  
 nibus, quæ pauca de multis ad manus meas subin-  
 de venerunt. Auctorem ne queras, quando ille  
 prorsus ignorari voluit, nec alio nomine, quam quo  
 prodeunt, vix tandem passus est edi. Agnosces  
 fortassis tu ipse, tum ex indicibus, quæ secum ferent,  
 tum ex collatione aliorum plurimum, quæ de spectui  
 habens Scriptor in angulis patriæ domus voluit de-  
 litefcere. Neque vero hæc, vel sic, lucem aspexif-  
 sent, nisi ille aliorum genio potius, quam suo tanti-  
 sper indulgere maluisset, longaue severitate at-  
 temperata, pateretur ipsa quasi non ipsa comparere,  
 avulsamque, liceat mihi dicere, humeris ca-  
 put, & sine nomine corpus. Prò, quantum ope-  
 ri momentum accessisset, si Auctor patuisset in fron-  
 te, tot graviorum studiorum laureis, tot magistra-  
 tuum gestorum laudibus illustris; ut nihil de pieta-  
 te ac moribus dicam. Scripsit autem hæc carmina,  
 partim adolescens, partim vir, modo inter gravis-  
 simas occupationes, modo in itinere, aliud agens,  
 ac recreandi tantum animi gratia. Decent illa præ-  
 cipue*

## D E D I C A T I O.

*cipue etatem tuam ac studia. Lege, utere, imitare;  
memor aurei Epigrammatis, palmaribus literis,  
uti audio, sub paterni cubiculi laqueari exstantis;  
ubi, illustris pictoris manu, Cæsaris gesta, ad æmu-  
lationem excitandam, à c x l annis majores tui  
pingi voluerunt:*

Flevit, Alexandri Cæsar cum vidit honores,  
Concepitq; animis æquora, regna, polum:  
Inde triumphatum circumtulit arma per or-  
bem.

Tantum ingens virtus, æmula facta, potest.  
Quisquis in hac igitur defigit imagine vultus,  
Æmulus is magni Cæsaris esse velit.

*Et sane ita est: aliorum facta excitant nos ab ocii  
veterno; & dum in laudes eorum non illubenter  
trahimur, ad emulationem quoque, occulta quadam  
vi, inflammamur. Auctor ipse Philomathus (no-  
tissimum tibi Senensis Academici nomen, & idem-  
que nonnullis Philomusus, hisce stimulis incitatus,  
vivam quandam illorum, in Poesi, Heroum ideam,  
meo quidem judicio, expressisse videtur. Evolve  
paulisper: in Epico carmine Maronem, in Melico  
Venusinum vatem, in Tragico Senecam, alibi Mar-  
tialem, acumine etiamnum principem, alibi inter*

## D E D I C A T I O.

*Satyricos regem Iuvenalem, intuebere. Neq; Ovidium facili & ingenioso, nec nitido Propertium, nec Romano ore Catullum, desiderabis: non jam tamen à mollitie & nequitia teneris animis noxios, sed quos ipsa Castitas è Cypro Senas in Urbem Virginis traduxit. Horum profecto aspectus, ut & ipse meliorem quandam Pöeseos effigiem in animo tuo effingas, mirifice adjuvabit. In qua facultate quantum insit momenti, ut hominum mentes, carminis suavitate delinitas, ad virtutis & gravioris Sapientie amorem consecrationemque inducat, superse-  
 deo dicere: qui probe sciam, quantum compendia-  
 ria eorum exemplorum via, quæ tibi domi & in patria tua abunde exhibentur, cunctis apud animum tuum rationibus præstet. Si meo erga pulcherrimam hanc Divam, omnis elegantie ac humanitatis informatricem, affectui indulgere diutius possem, libenter sane in meritas ejus laudes excurrerem: sub cujus institutione ipse quoque haud inutiliter, uti confido, severioribus, quibus jam vaco, disciplinis ante annos haud ita multos prælusi. Sed, cum id excederet epistolæ modum, finio; teque iterum atque iterum rogo, ut Musas hæc, semper juvenes, quas Auctor maluit vocare juveniles, quia, sicuti & senex laudatur, in quo aliquid juvenile,  
ita*

## DEDICATIO.

*ita juveniliter amæno animo, & quidem, quod refert, in continuis gravissimisque occupationibus, immo insuper in morbis admodum acutis ac pertinacibus, ab sese effusas, ( quæ profecto juvenilitas in fortissimo illo, ac simul mansuetissimo funditus, mortaliurnque omnium amantiſſimo pectore, habitantem Spiritum Dei arguit, ) ideoque juventuti tuæ excolendæ aptissimas, hospitio quam amiciſſimo excipias. Illa, uti minime inhospita, te vicissim suum in Heliconem invitabunt, omni ibidem humanitatis genere exceptura, & laurea revinctum, Vatibus insertura. Vale, Prænobilis Adolescens. Colonia Agrippina, Prid. Non. Aprilis*  
C I O I O C XLV.

LECTO-

# L E C T O R I.

**F**Ditor horum Poëmatum, familiæ Furstenbergiorum longe nobilissimæ cultor equidem in primis, Auctorem, patria Senensem, qui Philomathus audiebat, vocavit, ipse longe absens, Philomusum; sive quia characterem codicis manu scripti non liquido assequutus, sive quia manum dans iis, quibus Philomusi nomen visum & honorificentius nonnihil altero & ejusdem haudquaquam inidoneum cognomen. At postea doctus est, quod nescierat, Senis ab integro jam prope seculo esse insignem quandam Philomathorum Academiam, & in horum numero censerī eum, de quo sermo est, etiamnum velle. Itaque præstaret, pro Philomuso relictum semper fuisse Philomathum; undecunque tandem vox ea descendat: utpote quæ sic invaluit apud Senenses, ut Criticorum non amplius moretur acumen, solo usu freta, *Quem penes arbitrium est & vis & norma loquendi.* Hoc te monitum volumus, lector; ne mireris, in volumine ipso non omnia respondere frontispicio, tum demum præfixo, cum omnia cætera typis essent mandata. Vale. Id. Sextil. CIO IOC XLV.

PHILO-

PHILOMUSI

M V S Æ

I V V E N I L E S.

I.

IN LAUDEM POESIOS.

Non militiam, non mercaturam, non agriculturam sequi se, canit, sed Musas; cætera morti esse obnoxia; has immortalitatem donare, ac mentis tranquillitatem.



*Non tela, rauco percita classico,  
Non fluctuantes per mare turgidum  
Gazas, vel immensum patentis  
Arva sequor bene culta ruris.*

*Me per sonantes tibia rivulos,  
Me dulce plectrum per juga montium, &  
Antris trahit jocans imago,  
Collis Apollinei inquilinum.  
Devota morti cætera perfluunt,  
Fatoque cedunt irreparabili;  
Et, quam dederunt vix, repente  
Abripiunt elementa vitam.  
Hæc pura mundi semina permanent,  
Occasu & ortu alterna, vagantibus*

A

*Ver-*

Vertente natura figuris,  
 Dum varius reparatur orbis.  
 Tempus fugaci vulnerat impetu,  
 Rituque Parthorum feriens ruit  
 Versis sagittis : hoc theatra,  
 Arma, duces, opulenta regna,  
 Urbesque totas, cuncta, silentiis  
 Immergit altis ; impatiens, diu  
 Quidquam manere. unum Camœnis  
 Perpetuum dedit esse carmen,  
 Mortale terris lumine dum vago  
 Partitur ævum Phœbus. amabili,  
 Raptus furore, ô, vestra Musæ  
 Antra viris nitido recludam  
 Plectro sacerdos ; ô, liceat sacras  
 Lustrare sedes ! vos lacrymabile  
 Lethum, & sepulchrales honores,  
 Et timidi fugiunt dolores.  
 Non cura edax vos detinet, aut graves  
 Morbi, aut gelu jam pigra dolentium  
 Senecta. vos & pax, soporque,  
 Et decor, & jocus, & juventus  
 Eterna, servant. vos ducibus novum  
 Ævum additis, quoquo ære perennius,  
 Lauroque donatos poëtas  
 Siderea decoratis arce.  
 Hac arte Flacci Musa, voracibus  
 Dum tempus horis mobile transmeat,  
 Orbem pererrat, permanetque  
 Vivida, mobilitate cœli.

## II.

IN DIEM ANNUNCIATIONIS  
B. M. VIRGINIS.

Perpetua allegoriâ, verum Gratiae tempus, concepti in utero Virginis Dei Spiritus Sancti opera, describit:

**D**iffugere nives, seruaque turbinum  
 Tempestas abiit; composuit Patet  
 Cæli providus iram,  
 Nec terram jaculis premit  
 Vltor, nec glaciem pectoris asperat.  
 Mitescunt Zephyris arva tepentibus;  
 Puro gratior orbe  
 Affulget roseus dies.  
 Titan purpureo lumine ditior  
 Ornatur: niveam vellus amabili  
 Terram luce maritat  
 Hospes siderie domus.  
 Cælo regnat amor, fervet amoribus  
 Cælum, atque impatiens ad thalamos ruit;  
 Sese foedere nuptæ  
 Arctans in gremium suæ.  
 Terræ exorta salus; spiritus aurea  
 Terram pace beat, dædala concipit  
 Dia fertilis aura  
 Tellus, atque uterum gravat.

A 2

Felix

*Felix, cui superis vernat amor rosis,  
 Cui spirat Zephyrus purior ætheris,  
 Cui, sese ipse minorem,  
 Ingens insinuat polus.*

## I I I.

## I N O B I T V M

## L A V R E N T I I D E F L I S C O .

*Æ Mula dum Solis placidum tua fama per orbem  
 Evolat, & gemina Palladis arte nitet;  
 Invida tempestas fati subducere tentat  
 Lumen, & æterna tollere nocte diem;  
 Mortales animatque manus; scelus ipsa nefandum  
 Horrens, humano crimine fata tegit.  
 Inde cavo chalybe explosum magno impete fulmen  
 Te facit, heu, properæ succubuisse neci.  
 Mors prope est, si annos; animum si respicit, æqua;  
 Canitiem mentis dum videt, arma movet.  
 Iam tua per totum virtus penetraverat orbem,  
 Et vaga per cœlos sponte petebat iter.  
 Mors tulit occasu metam, abstulit Hesperus ævum  
 Lucidus, atque idem Phosphorus astra dedit.*

## I V.

CLEMENTI MERLINO,  
SACRÆ ROTÆ AUDITORI.

Inhibuerat ille auctori, ne versus scriberet; indul-  
sit postea, invitans ad hortorum delicias: has ex-  
temporali carmine refert, una & sermones, in-  
vicem habitos.

**R**omanæ decus Astrææ, mihi culte sacerdos  
Iuris, Castaliæ nobilis hospes aquæ;  
Qui proavos virtute, genus qui moribus æquas,  
Et jamjam gemino cingis honore caput:  
Desine clamosas calamo componere lites,  
Arguti oblitus iurgia vana fori.  
Cura per æstivas teneat te mollior horas,  
Dum gravis assiduo Libra labore redit.  
Libera justitium sacris facit otia Musis,  
Et licet Aonio ludere verba sono.  
Seu juvat inventis nativam flectere rhythmis  
Linguam, Romanis dicere sive modis:  
Accitæ venient, jubeas quocunque, Camæna,  
Et ducent pleetro carmen utrumque pari.  
Me quoque Musarum, quamquam mea carmina surgant  
Inferiore lyra, nunc tamen urget amor.  
Hesternæ thema scribendi dum luce dedisti,  
Arctum sinceræ fœdus amicitia;  
Sensi, divino perflari pectora sensu,  
Atque per ignotas carminis ire vias.

A 3

Mox

PHILOMUSI

Mox ubi Carpensēs curru vectabar ad hortos,  
 Injussus quoties versus in ore fuit!  
 Dum plateas, circum muros, viridesque tapetas  
 Spectabam, Musis consitus hortus erat:  
 Dum vario placidum scandebam tramite clivum,  
 Hic mihi Parnassus, hic mihi Pindus erat.  
 Subdola dum subter venit, nihil inde parentis  
 Inque sinu & vultu plurima lymp̄ha fuit.  
 Non ego tristatus, socio indignante: scias, sic,  
 Dixi, Bellerophon sollicitavit aquas.  
 Ungula si quondam fontem, vestigia vatū  
 Non poterunt rivos fors aperire sibi?  
 Ausugit interea madido vix Iulius ore,  
 Dum felix risum non tenuisse valet.  
 Abfuit, undantem fluvium qui nomine gestat;  
 Fugit Iordanis sic leve murmur aquæ.  
 Pone sequens Nannus timuit, dum me nova totum  
 Unda lavat riguis vix reserata dolis.  
 Latior ascendo, rivus qua tramite recto  
 It cœlum, & se altus murmure fundit apex.  
 Hic varios laudo cursus, variosque recursus,  
 Sylvam, quæque vias frondea ferta tegunt.  
 Mollior expressit volucres cum lymp̄ha loquaces,  
 Ac tandem nostros clausit arena jocos.  
 Hæc mihi per noctem geminans sua gaudia somnus  
 Reddidit & somno gratior alta quies.  
 Vix primos cœlo Phœbus diffuderat ignes,  
 Cum jussit Latiis reddere visa sonis.  
 Quidni paruerim imperiis ex tempore Phœbi,  
 Iverit inque suos pagina docta pedes?

Corripit

Corripit extemplo vatū vāgā pēctora Phœbus,  
 Et non tentatū cogit adesse melos.  
 Miscuit ipse jocos hesternis Phœbus in undis:  
 Ille dedit lusus lætitiāque deus.  
 Lætitiæ pars una tamen non parva recessit,  
 Illic quod Gasp̄ar non comes alter erat:  
 Gasp̄ar, quem medica genuit celeberrimus arte  
 Salvius, historiæ Pieridumque decus;  
 Gasp̄ar, amicitie notum super æthera nomen;  
 Gasp̄ar, amor vatū, deliciæque tuæ.  
 Non mihi fama vetus tam fidum Thesæa forti  
 Amphitruoniadæ dura per arma canat.  
 Non mihi Tyndaridas cœlestia conferat astra,  
 Quorum ex alterius lumine vita nitet:  
 Non Agamemnonium rixantem in funera funus  
 Dum puer Amonius vindicat ipse sibi.  
 Gasp̄ar, magnorum superat qui exempla virorum;  
 Priscis sufficiens laudibus unus erit.  
 Hunc coluit, qui rapta canit monumenta Tonantis  
 Thracibus, & fortes ad pia bella manus.  
 Hunc coluit, fidos Myrtilli qui unus amores,  
 Eridani ad ripas, perque theatra dedit.  
 Hunc, qui Parthenopen prope reddit, Adonidis ignes  
 Blandus lasciva ludere dicta chely.  
 Hunc & quem Tiberis, mage quem sua Felsina vidit  
 Salmacis ardentem fonte referre facem.  
 Lumina quin Latii non te Quærengus & Ursus  
 Dudum carminibus præteriere suis.  
 Vivet, io, Gasp̄ar, tumulto tua fama superstes,  
 Quem non una satis Musa beasse velit.

*Vndique dicetur ; Sociatas fœdere mentes  
 Vatum, corde uno conciliavit Amor.  
 Rara hæc laus Romæ ; adversis idem atque secundis ;  
 Nec cum fortuna statve caditve fides.*

## V.

DE LEONE MANSVETO  
 D O M I T I A N I.

**Q**uod sapit humanos sylvestris bellua mores,  
 Cæsaris ingenium fertur habere sui.  
*Quod potes immanem, Cæsar, tibi discere sensum ;  
 Sævitiem tumidi quippe leonis habes.  
 Ne jactes igitur vana hæc miracula ; namque  
 Qua te hominem spolias, exiit illa feram.*

## VI.

## DE EODEM.

**Q**uam mutat natura vices ! fit bellua Cæsar,  
 Et capit ingenium Cæsaris arte leo.  
*Tu rex sorte virum, fato rex ille ferarum est ;  
 Sic utrique suum est quod diadema gerat.  
 Pro cicure insanum tete si sponte reponis,  
 Tu bruta, ille homines inter, habendus erit.  
 Par ludis furto furtum, par munere munus,  
 Servas justitiam, Cæsar, ubique tuam.  
 Te dum ascribo feris, numerus bene constat utrinque,  
 Possidet & reges utraque turba suos.*

VII. VR-

## VII.

VRBANO VIII, PONT. MAX.

CREATO.

Similitudine verni solis, excitaturum prædicat femina virtutum ad messem gloriæ, in orbe Christiano.

**Q**ualis coruscus temporis arbiter,  
 Bis sena qui per signa volatilis,  
 Et noctis horis & diei  
 Imparibus, regit æquus orbem,  
 Nimbosa postquam sæviit impete  
 Late maligno bruma, Aquilonibus  
 Exasperans imbres, & urna  
 Iliacus gelida recessit,  
 Emensus auri vellera divitis,  
 Tauri pererrans terga potentior,  
 Serenat auras, & feracem  
 Complet humum gravidatque fœtum.  
 Rident odoris gramina floribus;  
 Arbos renatis luxuriat comis;  
 Aves patrem lucis, canoro  
 Murmure, conspicuum salutant.  
 Sic ut nitenti magnus ab æthere  
 Illuxit orbi, semina vivida  
 Virtutis Urbanus nitentes  
 Excitat in segetem per auras.

A 5

Regnan

Regnans beatis tot superum bonis,  
 Fœcunda dii munera pectoris  
 Et seruat, & terris redundans  
 Dividit in vacuas catervas.  
 Hinc sanctitas, illinc pudor, & fides  
 Enata, robur promovet insitum, &  
 Augusta majestas Latino  
 Orbe viget, niveusque candor.  
 Tranquilla vultu pax redit aureo,  
 Concors potentem dat pietas manum,  
 Vindexque probrorum, & salubris  
 Iustitiæ metuenda præses  
 Fraudis repellit nequitiam Themis,  
 Semperque hiantis monstra Cupidinis.  
 Quicumque mores, imperantis  
 Ad genium, excoluisse gaudet,  
 Solers honestum præferat utili,  
 Humana temnens, mente adeat Deum,  
 Ex quo perobscuris renidet  
 Lux animis, fugiuntque nubes;  
 Doctusque naturam omnigenam soli,  
 Cœlique vires, quæque beatitas  
 Manet supernos, quæque cuncta  
 Ore Deus reteggit benigno;  
 Mox rebus æqua dextera in arduis  
 Prudens habenas flectat amabiles,  
 Quæ ut extremis ab usque  
 Fluctibus Oceani triumphet.  
 Sic, prima cælum dum movet, altera  
 Edocta, motu mens trahit æmulo:

Stant

*Stant ima summis, & canoro  
Aura sonat modulata cursu.*

## VIII.

## COMMENTARIA CÆSARIS

à mure corrofa.

**I** *Mproba quid vates Musarum cura laceffit,  
Si peritura brevi pagina nocte manet?  
Mus latet in pluteis, & duratura per ævum  
Carmina momento perfidus ore rapit.  
Tempus edax, & prisca patris commenta vorantis  
Ingenio dudum vincere credideram.  
Edidici, gravior telo quantum excubat hostis,  
Exitium tenui qui mihi dente parat.*

## ALIVD.

**T** *Or post emensos orbis pelagique labores,  
Dextera, quæ gessit bella, legenda dedit,  
Dux idem & scriptor, ferro calamoque superbus,  
Enatat, & doctas per freta servat opes.  
Neptunum, Martemque diu, & Saturnia victrix  
Prælia vitarat pagina sorte sua.  
Auctoris rapitur fatis; enascitur hostis  
Usque domi, & domino posthuma bella movet.  
Dum residet pluteis, accedit ad oscula Brutus  
Alter, & infenso spicula dente tegit.*

IX. IN

## I X.

## I N O B I T V M

## ALPHONSI MARSILII EQVITIS.

Lacrymas cohiberi posse negans ; amissum amicum, militiam, mortem, patris succisas spes, in consolabilem jacturam, ac mortalitatis miseram conditionem, lamentatur.

**Q** Vis dicat lacrymis arbiter impius  
 Lamentisque modum ? quis male pertinax  
 Vallat duritie pectus inhospita,  
 Are & cor triplici tegit,  
 Ut dira gemitus lege coërceat ?  
 Expers legis amor, nec querimoniis  
 Arctos edidicit scribere limites ;  
 Vt cumque hunc sequitur dolor,  
 Metiturque parem. Ergo effera sustulit  
 Vis, heu, Marsilium ? ille ille meus cadit  
 Eo roseus lumine Phœbus, &  
 Undis occiduis perit ?  
 Quonam frontis honos, lætaque faustitas,  
 Quo vultu niveo purpureum micans  
 Abscessit decor, & robur, & arduæ  
 Majestas animæ capax ?  
 Indulsit lacrymans militiam parens  
 Illustrem titulis, qua sua Nereus

Pro

Protendit spatiis regna fluentibus,  
Phœboque hospitium locat.

Mox flavam patrio in littore continens  
Arcte cæsariem, dat tremulis silens  
Vix raptim labius oscula, nec freto  
Solventem patitur ratem

Inspexisse dolor. Macte, per æquora &  
Terras nate vagans, sis atavis manu  
Par & consiliis; te aurea pectoris  
Hæc signa instituant virum.

I, vince, atque alacris deprime barbaras  
Cervices Asiæ, sospes ab ultimo  
Et ponto remeans, sic patriam velis  
Non inglorius ingredi.

Hæc fatus genitor, proripit illico  
Sese, & triste lares dum petit, aurea  
Læti spem reditûs munera & anxius  
Ludos ac thalamos parat.

Nequicquam: procul at dissipat invidus  
Spes & verba Notus. vix vehit altero  
Se cursu, Enboicos per Calabrum sequens  
Piratas profugos mare,

Dum pugnare prior tentat in hosticam  
Pinum inferre pedes; prodigus, heu, puer  
Bellorum decoris, nocte sub impia,  
Confixus jaculo jacet.

Heu, quantis moriens vulneribus patrem  
Insons nate necas! quam prope flebili  
Tecum cædere ruet! vertit amabiles  
Tædas funereis rogis,

Vertit

*Vertit flammigeri dona Cupidinis  
 Argenti tumulo, stat feriens sinum  
 Non tuto requie, non dape vescitur;  
 Solari indocilis, furit.*

*O falsis utinam credita nunciis  
 Mors! ô vivat adhuc! & refugam parens  
 Hinc vitam revocet; cui secus immori  
 Est votum, ac sobolem sequi.*

*Sed fors non placidis tristitiam queat  
 Commutare bonis: non aditus potest  
 Obsessos subitis pandere gaudiis  
 Cor, tantis miserum malis.*

*Sic dum justa suo credula filio  
 Ad Cannas celebrat, canitiem parens  
 Ac rugas lacerans; incolumem ut videt,  
 Extemplo exanimis cadit.*

*Infirmi usque adeo corporis hospitem  
 Damna urgent animum, per mala protrahit  
 Etatem, & fatilis præpete gaudio  
 Disrumpi, opprimitur nece.*

*Qui speras dubiis rebus, & impotens,  
 Disce hinc stulte animum tollere, vita sen  
 Qua ærumnis cruciat languida, siue mors  
 Risus quâ in medios venit.*

## X.

## ITER ROMA FERRARIAM.

Anno c10 100 xxix in pugillaribus, quolibet die,  
ut agebatur, plumbo adnotatum; obstetrican-  
tibus poemati, ut auctor dicere solitus, non a-  
liis Musis, quam nautis, stabulariis, cauponi-  
bus.

**L**ibra ter autumno Phœbi cum luce niteret,  
Egressus Roma, Primæ quod nomine Portæ  
Dicitur hospitio, eximii comitantis amici  
Officia & rhedam linquo, gratoque sodali  
Iunctus, lectica vector prope mœnia Castri  
Usque Novi; hic parcus vix prandia contulit hospes;  
Et Castellanam noctu pervenimus urbem;  
Improba ubi culicum legio, torrentis & ingens  
Inde fragor, tenuem lassis fecere soporem.  
Aufugimus, primos nebula condente nitores,  
Maneque transgressi quatuor vix millia, sacro  
Adsumus ad tenuem Borghetti pauperis aram.  
Tum mensa excipimur, niveus qua nominat urbem  
Argenti Nar altus aqua. hic nos plurimus imber  
Detinet in noctem: veterum simulacra virorum  
Inspicimus; circa famosum picta lacunar,  
Narnia progenies. molli requiescere lecto  
Iuvit, & aurora campos surgente videre,  
Vitiferasque ulmos, & rivos, Inter & amnem.  
Ad sextam reficit Stricturæ campo benignus.

Sunt

Summaque transgressi fastigia, dena priusquam  
 Hora diem ferret, Spoletum venimus, Aedes  
 Hic ubi Divorum spectantes, munera cœnæ  
 Accipimus, vinum, fudit quod testa nivalis,  
 Mane hinc egressi, Fulginum ad tecta maligni  
 Hospitis appulimus, qui turpi & paupere mensa  
 Extorsit nummos. Apenninum inde subimus,  
 Posthabitæ Vmbris, Clausa qua valle fluentum  
 Fertur in Adriacum, cursu mox ditius, æquor,  
 Ac laterum objectu montis, vix cernit avari  
 Sidera pauca poli. Ad sonitum requievimus undæ,  
 Post molles epulas : transivimus inde Cluentum ;  
 Liquimus & dextra Visium ; collesque Camertes  
 Picenum ingressi, ad nonam confedimus horam  
 Vrbe Tolentini ; mirati altaria circum  
 Post tot lustra sacro manantia sanguine divi  
 Ossa viri, humanis præfagia certa periclis.  
 Tum Maceratæ complexus lux postera amici  
 Restituit veteris, dapibusque, & fronte benigna ;  
 Lauretumque dedit luna spectare nitente.  
 Chara Deo sedes, mortales cum induit artus,  
 Et Matri dilecta domus, quæ barbara quondam  
 Regna Palæstinæ fugit regionis, & agris  
 Institit Illyricis, cœlestum & vecta per auras  
 Remigio alituum, Piceni colle resedit.  
 Hic, puri sceleris, divino & pane refecti,  
 Excolimus Divam, & jam quarta exsolvimus hora,  
 Auspiciis faustis, Anconæ ad littora cursum :  
 Namque pede extremo labens de ponte ruensque  
 Mulus, lecticæ casum nobisque parabat

Funera: continuo egredimur, cum concidit undis,  
 Et rediit rursus vectandi ad munera sospes.  
 Pone sequens tum delphinus, dum fluctuat æquor,  
 Sponte sua, nullis vexantibus aëra ventis,  
 Dat comitem sese, & curvo nunc Nerea dorso  
 Stat super, & nunc illudens immergitur undis.  
 Prædixit verò nimbos delphinus, & æstum:  
 Nam simul ac Ædes Combustas (nomen id illi  
 Hospitio, ad littus posito, dixere coloni,  
 Attigimus, tetra tempestas nocte suborta  
 Turbavit pontum, atque vias corrupit ab imbrè.  
 Sed Phœbo nascente, dies redit ore sereno,  
 Ac tuto spectare datur vicina frementis  
 Littora Neptuni, spumantibus acta procellis,  
 Ac transire olim Senibus data moenia Gallis,  
 Et detestatum Pœnorum voce Metaurum,  
 Sublicio longoque recens à ponte subactum;  
 Nec non Fortunæ Fanum; noctemque morari  
 Pisauri tectis, tabulisque insignia templa  
 Roboremque decus magni spectare palat.  
 Picenum exiguo pontis conjunximus arcu  
 Dehinc, & Flaminiam, celerique ad prandia gressu  
 Arimini adfuimus, dederuntque in membra soporem  
 Arva Sabignani, felici culta Lyæo.  
 Tum prætergressi Cesenam, Pompiliique  
 Tecta, Forum Livii devenimus. hic, ubi amici  
 Plausibus excipiunt gratis, & divite mensa,  
 Dulce moras trahimus; parvaque Faventia nocte  
 Præsulis hospitium præstat, quem Purpura Senis  
 Abstulit, illustrem meritis. tum, sole tenente

*Vix medium coeli, stetimus, dum pabula multis  
 Sufficerent vires, Sancterni ad tecta quieti.  
 Hunc rate transnamus parva, celerique fluentem  
 Eridanum cursu superamus; & ultima Phœbi  
 Linea quum flamma tenui vix spargeret orbem,  
 Argente gratis epulis mollique sopore  
 Perfruimur noctu; & lautè data copia piscis.  
 Mane, hinc dum nebulis vicinas inficit auras  
 Flumen, ad octavam accepit Ferraria tandem  
 Incolumes, placidam lassis factura quietem.*

## X I.

## D E R O M A.

**O**rbis Roma decus, dominatrix Roma potentum,  
 Quam bene conspicuum tollis ad astra caput!  
 Te fallax fortuna timet, quando omnia vincis,  
 Nec tibi, quæ humanis jam nocuere, nocent.  
 Vidimus annorum rabiem in tua damna furentem,  
 Vidimus illatas urere tecta faces.  
 Ipse quoque iratus tumidis pater obstitit undis,  
 Albula marmoreas dum rapit usque domos.  
 Pulchrior ipsa tamen vitam de funere ducis,  
 Et cecidisse iuvat, dum magis esse datur.  
 Perge igitur felix, te diva volubilis auget,  
 Te quoque dum tentat perdere, cæca fovet.

XII. PE-

## XII.

## PESTIS ITALIAM POPVLATA

ANNO MDCXXX.

Post fluminum irruptiones, annonæ caritatem,  
ac bella, pestis insequuta est per universam Gal-  
liam cisalpinam. Hanc Auctor, Ferrariæ degens,  
nequaquam humana diligentia, sed morum im-  
proborum mutatione, in quos invehitur, & di-  
vina ope, ad quam sollicitandam hortatur, pro-  
fligari posse, canit.

**A** Sfidue quamquam curis distentus acutis,  
Et tenui stomacho, medio perterritus aestu,  
Mens tranquilla tamen constanti corde voluptas  
Bella super, foedamque luem, & mendacia messis  
Scribere me patitur properanti carmina vena.  
Impia, vae, miseris praesunt quæ sidera terris!  
Quæ premet Italiam labes! stat miles in armis  
Undique ab externa divulsus sede, minaces  
Torquet in Italiam vultus, Martemque duello  
Provocat, & nostris superimminet exitus oris.  
Mantua jam decimo nutat sub mense, vetustum  
Tormentis contusa latus, confecta periculis;  
Proximus auxilio Venetus quin miles ab ipsa  
Dejectus statione fugax, ferroque peremptus;  
Obsidione gravis Ferrati monte superba  
Arx, invicta diu, gemino timet impete vinci;

B 2

Et

Et contracta sibi jam sentit regna Sabaudus,  
 Dum dolet amissas prærepta per oppida vires.  
 Sic placitum superis, Germanum ad bella cieri,  
 Hispanumque ducem, & Gallorum robora gentis.  
 Improba cunctarum rerum comitatur egestas;  
 Spem mentitus ager, toto non horrea lustrò  
 Implevit; steriles dominantur lappulæ in arvis,  
 Et lolium, nocuo perfundens membra sopore;  
 Non ver purpureum redolentia gramina promit,  
 Aut florum pleno diffundit copia cornu:  
 Invidet autumnus transacti temporis auras,  
 Pomaque; nec summo spumat vindemia labro.  
 Arida nequicquam placidos dum postulat imbres,  
 Torretur nimium Phœbo, rimisque fatiscit;  
 Inque vicem immani pulsatur grandine tellus.  
 Flumina quin etiam totas undantia ripas,  
 Aggeribus ruptis, inimico vortice campis  
 Contigit abripere immensum sudata colonis  
 Semina, & interdum falces pertæsa recurvas  
 Straverunt segetem, fundo quæ putruit udo,  
 Altior & mediis piscis diffluit aristis.  
 Sed graviora manent. Quenam vis tabida venis  
 Incubuit, rabido incendit quæ pectora morsu?  
 Germanis seu nata plagis contagia miles  
 Intulit in nostras, fœdis & sordibus oras  
 Invasit; seu terra putris, turpesve lacunæ  
 Concepere luem, socios quæ serpit in agros;  
 Seu gravis aërea genitus regione, maligni  
 Sideris aspectu, populatur spiritus urbes;  
 Italiam, Italiam, quondam dilecta Tonanti

Regna,

Regna, tenet fatale malum; quamque impia Martis  
 Vulcanique manus timuit lacerare, cruentis  
 Vertit funeribus gliscens nullo obice morbus,  
 Sævior & bello & flammis prosternit humi pax.  
 Insuper hæc primus percepit damna, Cremonæ  
 Mox civis; sed uterque necem sine clade suorum  
 Vitavit: rursus redit in præcordia virus  
 Nunc, & funereo mæstos petit agmine manes  
 Insuper: at Parmæ, prob, quantum infensior hæsit!  
 Nam sensim grassata diu, quoscunque recessus  
 Corripuit, populumque imum summumque senatum  
 Vulneribus cæcis, æquali strage, peremit.  
 Non illa ordinibus sacris, claustrisque piorum,  
 Non, fera, virginibus pueroque senique pepercit:  
 Defecit propior medicus dum considet agro;  
 Concidit & præbens cælestia liba Sacerdos:  
 Anceps extremo mater dum munere, nati  
 Excipiatne abeuntem animam, num lumina claudat,  
 Quâ celeris pietate, necis quâ lenta pavore  
 Incubat, & calido tumulat sua pignora cippo,  
 Seque, quod implevit, claudit vespillo sepulchrum.  
 Quin, prostrata jacent triviis inhumataque passim  
 Corpora, ut ex omni numeres vix urbe trientem  
 Reliquias tabis. Vicina Placentia fato  
 Abripitur simili. Funesta at Mincius urbe  
 Squallet, & interna morbi plus cæde laborat,  
 Quam timeat ferro hostili: viduata colonis  
 Terra potens complet miserandis questibus auras;  
 Infandum, ruit ad mæstam longo ordine mortem,  
 Extremis procul exsequiis, & honore sepulchri

Proxima succedit stellus Verona sinistris,  
 Vna tercentum deducens funera luce.  
 Non ars ulla leuat, quovis medicamine morbus  
 Pascitur, & major collectis viribus urit.  
 Destituit prolem infectam pia cura parentum,  
 Vix, trepidante manu, protensa decempeda victum,  
 Porrigit, & chari refugit mala flamma vultus.  
 Ipsa viri conjux metuit tetigisse cadaver,  
 Tormenti genus, extincto nedum oscula figat;  
 Et trahit ingenti, mixtis ululatus, unco,  
 Innocuos artus labentem ad fluminis undam.  
 Vidimus Eridanum diræ spectacula cædis  
 In mare torquentem geminato vortice busta,  
 Et requiem miseris orante poposcimus ore.  
 O utinam nostris documenta hæc moribus addat,  
 Non pœnam sceleri vindex Deus: altera nam vis  
 Deterior vexat; marcent, virtute relicta,  
 Pallentes animi: videas, nil tale timentes  
 In medios dormire dies, lassataque somno  
 Membra refecturos, oculus spectare supinis  
 Aurea qui veteres ornant laquearia vultus,  
 Nequidquam & supra decies numerare tigilla.  
 Tum puerum, quis adest? clamant; dum crura, lacertos,  
 Producent, dum læva caput tentamine scalpit,  
 Spiritus & patulo resonans quater oscitat ore,  
 Sericeis molles cinguntur vestibus artus,  
 Pectine cæsaries sensim palpatur eburno,  
 Aut semiardenti ferro crispatur in undas,  
 Rubraque, se attollens, denudat barba labella.  
 Plurimus intexto dependet balthens auro,

Orna=

Ornamentum humeri; præluces quem gravat ensis  
 Innocuus, cædisque expers, solemnia Iani  
 Qui pacata libens Clus I, vestesque veretur.  
 Turba salutantum interea, quam pascit honesti  
 More satellitii, obsequio stipata per urbem  
 Vix horam, tardo redeunt ad prandia gressu,  
 Ac lateri advigilant, obliquo lumine cultum  
 Captantes domino, atque metus inferre parati,  
 Detraçto si pileolo quis tardus adoret.  
 Cætera quid referam? prob, quantum ignobilis ocæ  
 Cæca libido tenet! sublatis denique mensis  
 Pulvinus fertur capiti, aut factura quietem  
 Culcitra, seu nudi commendent corpora lecto,  
 Humida dum cerebro transmittit pabula venter,  
 Fumosas epularum auras, & vincla soporis  
 Alea dehinc vigiles exercet ludicra mentes  
 Paupertate potens opulenta evertere regna,  
 Aut lento recreat mollis gestatio motu,  
 Vix data patriciis quondam carruca puellis.  
 Hinc desueta viris abeunt studia aspera belli,  
 Harpastum, lususque pilæ, fortisque palæstra,  
 Non cæsim glomerare manus, punctimve ferire,  
 Non properantis equi dociles inflectere habenas,  
 Non hastis agiles Trojano ludere cursu.  
 Torpens quin etiam delectamenta refugit  
 Rustica luxuries. non telo figere damas,  
 Non leporis superare fugam, non pulveris atræ  
 Conceptis pluvium flammis explodere plumbum  
 In volucrem, aut sylva fugientem vulnere certo  
 Sistere aprum, valida ferre aut venabula dextra.

*Musarum frustra fontes atque hospita Phœbi  
 Gramina perquiras ; Academia tota recessit,  
 Atque effracta diu marcent subsellia vatum.  
 Infelix juvenum proles dediscit avitum  
 Robur, & ingenium ; patria levitate docetur  
 Immodicos sumtus ; artes pertæsa beatas,  
 Vix proprium obscure didicit subscribere nomen,  
 Confertum titulis, & inani folle tumescit.  
 Ne pete, qua Divos recolant pietate, frequentes  
 Ut templis subeant, intenti ut pulpita servent :  
 Accedunt, si quando vocat vesana cupido  
 Furtivis oculis dominam libare precantem,  
 Seu trahit alloquium, seu mos, seu musicus illex ;  
 Cætera sed plebem tangat pia cura ; fatigent  
 Hi superos queruli & flexo de poplite clament ;  
 Non hæ nobilium partes, humilesque susurri.  
 Scilicet hoc messis vitiorum fonte redundat.  
 Hinc, quæ dedecorum geminata repullulat hydra,  
 Non thalami tutela sui, non fervor honesti,  
 In Venerem violentus amor, turpesque rapinæ  
 Nuptarum, & misera sublati cæde maritus :  
 Haud servare fidem pactis, operisque negatæ  
 Mercedes, longo vexatæ judice lites,  
 Et demum infami signatus vulnere vultus,  
 Ne repetat proprium mercator providus aurum  
 Vindice justitia. Scelerum nec maxima sunt hæc,  
 Nec secreta latent paucorum ; publica lucem  
 Aspiciunt, & multorum communia, sannam  
 Contemnunt populi, & vatum convicia rident.  
 Ergo age, percipiant divinæ carmina vocis*

*Auribus,*

Auribus, & promptis avertant terga flagellis.  
 Utor adest Deus, & vicino fulmine terret.  
 Aspice; jam socius nostris in finibus ardens  
 Infelix parvi consumitur accola Rheni;  
 Tuberibus vapor insultat, furit ulcere saevo  
 Corripit hunc morbus, dum mollis purpura vestit,  
 Tabifica consuta manu; Nessæa venenum  
 Undique palla gerit, tenui dat epistola filo  
 Perniciem terris; homines quin crebra nefandos  
 Fama refert, scamna & postes & strata viarum  
 Templaque mortifero circumsparsisse liquore.  
 O utinam sit vana fides! tamen omnia vincens  
 Certus adest horror, præfertur mortis imago;  
 Nostraque jam secum defert armenta, relectæ  
 Labuntur pecudes, prona cervice iuventus  
 Emoritur, vulgusque una procumbit equorum.  
 Ipsa etiam coeli facies inimica minatur  
 Hinc trabe purpurea, flammis hinc picta figuras  
 Ostentat visu horribiles. fervoribus aër  
 Turbidus, extemplo gelidis perfunditur auris,  
 Quas iterum tepidi commiscet flatibus Austri.  
 Flectamus precibus conceptas Numinis iras,  
 Solvamus meritas primum, Ferraria, grates,  
 Incolumes. hæc una satis nos dextra tuetur.  
 Ingressum hospitibus negat interclusa malignis  
 Semita nequicquam: rigido custode repulsi  
 Abscedant portis, extrema nocentibus addas  
 Supplicia, expellas clathratis moenibus hostem,  
 Externas merces subiectis ignibus usque  
 Expurges, rara fument sartagine chartæ:

Nequicquam immoreris curis, vigilasque, potentis  
 Ni manus ipsa Dei tecum custodiat urbem.  
 Funde proces ergo Divis, mala crimina pelle  
 Cum gemitu, meliorque redi, sanctumque piament  
 Perficiens, sacrae Cereris conviva recumbe:  
 Forsan & hæc superas flectent moderamina mentes,  
 Et meritis, Urbane, tuis, gratissime caelo,  
 Pacatum terris Numen, te præside, parcet.  
 Quod si certa manet nostræ sententia cædis,  
 Nil moror; hinc animi, terrena labe redempti,  
 Et puri sceleris, repetant data regna beatæ.  
 Grata & fera venit, caelos quæcumque aperit, mors.

## X I I I.

## DE AQVA IN LAPIDEM VERSA.

Vnda terit lapidem, nigido quo carcere fertur,  
 Mollior ut spatio liberiore fluat.  
 Iam parat effugium, nocuo jam gurgite lambens  
 Semesum properat rumpere rursus iter.  
 Nobile servitium docilis mox ferre per urbem  
 Subsicens alveo se premit ipsa suo.  
 Quid non longa dies alienis moribus implet!  
 Aut quis naturæ vultus in orbe manet!  
 Marmor it in riguas, attritu mobile, lymphas;  
 Statque rigens marmor, quæ modo lympba fuit.  
 Ne mirere, hominum lachrymis si dura liquecunt  
 Pectora, & à lachrymis jam resoluta rigent.

## XIV. IN

## XIV.

## IN PICTORIS ALBANI OPVS.

Puer Iesus, se vovens Patri ; atque Angeli, ejus  
cruciatuum instrumentis illudentes.

**B**landula cœlestum proles quæ ludit Amorum,  
Ac diræ tractat barbara tela necis ;  
Hæc tibi, die Puer, funus prævertit acerbum,  
Et, quod mente geris, mollius arte refert.  
Lintea fert hic sudanti, lora ille minatur ;  
Nititur hic tenera stringere flagra manu :  
Ille facem gestat, laqueos ille, ille columnæ  
Hæret ; sed oculos subdolanus ille tenet.  
Hunc forceps juvat, ostentat clavum ille trabalem ;  
Dirigit ille hastam ; hic pocula felle replet.  
Admovet hic scalas ; librant gemini inde per auras,  
Et gemini figunt pondera ad ima crucem.  
His circumfusum paliuro te ille coronat  
Pendulus, & calicem tristior alter habet.  
Suspicias, & justo sacras pia vota Parenti,  
Alitibus medius qui procul axe venit.  
Scilicet, alme Puer, mundum reparare ruentem  
Ante diem pietas hæc tua corda premit !  
Nec satis illa meæ ventura piacula culpæ ;  
Ni præmaturus ludat amore dolor !

XV. SFOR-

## X V.

S F O R T I Æ M A R C H I O N I  
P A L L A V I C I N O.

Principi Academiæ Humoristarum Romanæ obsequitur, à quo revocatus ad Musas mansuetiores, honorifice adscribebatur inter Academicos. in quorum symbolum digitum intendit.

**I**ntermiffa diu carmina, & asperæ  
Iam jam assueta lyræ pleetra silentio,  
Quis rursus vocat ad Mæonidum choros,  
Et me vatibus inserit?  
Quæ vis me latebris vindicat abditum,  
Miscet nobilium prodiga cœtui,  
Adscribit superis? Tu mihi Apollinis  
Instar, numine percitum  
Implens laude tua pectus, amabilem,  
Princeps, sævitiam sedulus ingeris  
Menti, & materiem carminis auream  
Das, & cum cithara melos.  
Tu jam Phœbus eris, cui rosæ nitet  
Majestatis honos, lætaque faustitas  
Ori, & cæsaries fulva decentius:  
Verna ætate beatitas  
Annos præveniens, cui decus arduæ  
Virtutis properat messibus addere,

Et

Et palmis senior tergemina tuam  
Frontem cingis adorea :

Ludentes choreis te medium suis  
Circumstare ducem Pierides canam,  
Blandas imperio intendere sub tuo  
Docto carmine barbiton.

Dicam hosne egregios nobilis otii  
Lusus, qua liquido pingitur aëre  
Nubes, & riguis decidit imbribus  
In vasti gremium maris?

Hac tu lætus ames dicier & coli  
Titan in tabula, dum tenuem trahis  
Sensum ex ingeniis molle jacentibus :

Salsæ cen REDIT AGMINE  
DVLCI idemque aliisque in Tethidos sinum  
Imber, sic steriles scilicet evocans,  
Gaudes dissimiles reddere spiritus,  
Vnus dum vario nites

Motu, siderei luminis arbiter.  
Curis an memorem te gravioribus  
Intentum? populos queis regat artibus  
Præsens justitiæ manus,  
Seu jus cuique suum sedula dividit,  
Seu pœnam sceleri accommodat acrior  
Æquam, multiplici mille volumina  
Legum quæ studio tegunt.

Alter non melius callet originem  
Mundi, & mixta vagas semina per vices,  
Quæ, alterno interitu vivida, fœtibus  
Rerum tot species replent :

Qui

*Qui motus superis orbibus, & nitor  
Stellis, quique regat, quidque sua queant  
Vi, quæ mens hominem formet, ab æthere  
Lethi nescia devolans.*

*Sensit, qui Latio labitur alveo,  
Miratusque stetit fluctibus altior  
Tibris, dum veteri pandis ab exedra  
Naturæ abdita, tertium*

*Vix lustrum superans: cumque Deum & sacra  
Vidit, quæ superis sunt data mentibus,  
Tractantem, & viridi tempora laurea  
Cingentem, medio senum*

*Confessu, æquoreas impatiens moræ  
Ad lymphas propero se tulit impete;  
Terras sollicito murmure in extimas  
Famam extendere gestiens.*

## XVI.

## HOROLOGIVM SOLARÈ.

*E* xplorat dum solis iter cælique labores,  
Nec nisi sub grato lumine vivit opus;  
Disce vias Domini signandas passibus æquis:  
Quod te subtacite muta tabella docet.  
Sit splendens tua vita decor; quaque ille recedit,  
Hac quoque te exstinctum vivere parte puta.

## XVII. DE

## XVII.

DE RVPELLÆ EXPVGNATIONE,  
AD CASSIANVM PVTEVM EQVITEM.

Regis constantiam in obsidenda laudat, Victorem-  
que ad rebelles reliquos persequendos animans,  
in partem laudis vocat Confiliarium, & Cardi-  
nalem S. Sedis Legatum, qui ea bella suaferat,

**N**unc ô vetustis sume superbiam  
Fastis nitentem, Gallia nobilis,  
Virtute bellorum redemptam,  
Atque novis geminam triumphis.

Te non cruento Marte ferocior  
Lux una, terris & pelago, videt  
Hostem domantem, pertinaci  
Qua dominum renuebat arce.

Lux una cultus fanaque, jam diu  
Direpta, summo restituit Deo,  
Et prisca cervices, rebelles  
In juga, supposuit regendas.

Frustra Britanni regia construit  
Urbes, natantes per Mare devium,  
Victuque & armis, ne perirent,  
Suppetias tulit usque belli.

Non æstus alti gurgitis impotens,  
Non ore latrans Sirius igneo.

Hyberna nequidquam nivali  
Bruma gelu, subitive nimbi,

Aut

Aut multa diris machina mœnibus  
 Excussa, Regem terruit, ardua  
 Quò sorte cedens, ad quietam  
 Ocia & imperium, rediret.  
 Senile menti consilium viget,  
 Et grande robur pectoris, aspera  
 Belli capeffens; infidelem  
 Stat populum latebris, protervum  
 Huc usque, sceptris reddere Gallicis,  
 Et evagatam saepe licentiam  
 Frenasse: jam fatale monstrum  
 Impietas cecidit, furenti  
 Enata Averno, quæ male perderet  
 Ut regna, sedem legerat, æquore  
 Terraque mixtam: pertimendos  
 Sed superi vetuere casus:  
 Et magna Regis dextera contudit  
 Infame vulgus; neve colonias  
 Deducat errorum per orbem,  
 Edomium, didicit timere.  
 Hæc signa Rex ô deferat undique;  
 Assuetus acri militiæ, Deo  
 Tutante; præscriptum parentum;  
 Et celebres titulos avorum,  
 Christum colentum, victor adorea  
 Semper recenti ditior impleat,  
 Servata quo tandem redonet  
 Relligio sine labe pacem.  
 Comes pericli, laudis & integræ,  
 Nitens galero & purpureo comas,

Arman

Armandus, his pergat potentem  
 Sensibus implicuisse Regem.  
 Tuque ô Beati spes Capitolii,  
 Regi sacrorum proxime, fulgido  
 Insignis ostro, Barberinæ  
 Gentis & Ausoniæ renidens,  
 Franciscæ, lumen, cui Latium refert;  
 Quod Mars recessit bis procul Italis,  
 Et quod pius parcens, in hostes  
 Arma tulit metuenda Gallus;  
 Impelle rectos prælia in exitus,  
 Ducemque adurge, castra sodalium  
 Ut barbarorum persequatur,  
 Reliquias grave olentis Orci.  
 Pestem latentem corpore Galliæ,  
 Scelusque gentis sedulus expiet,  
 Delubra Divorum reponat,  
 Iusque pium Themidisque leges;  
 Huc obsequentem flectere tu potes,  
 Franciscæ, Regem, quem tibi Sequanâ  
 Debet triumphantem, quod olim  
 Eloquio ac pietate victum  
 Probata cælo hæc bella coëgeris  
 Gessisse victorem. Eia, Quiritium  
 Et Urbis, Heros purpurate,  
 Cara Deo referens trophæa  
 Suspense templis; nec tibi carmina  
 Lesboa tentet dicere barbiton,  
 Quando alta virtus, quas meretur,  
 Spernit adhuc inimica laudes.

E

XVIII. DIES

## X V I I I .

D I E S B A C C H A N A L E S  
A N N I M D C X X I .

In nuptiis Io. Francisci fratris, ac Beatricis Fafsonæ, Iulius Sacchettus Cardinalis, Ferrariæ Legatus, Bernardinum Spadam Cardinalem, Bononiæ Legatum, & Carolum, Mantuæ Ducem, cum filio ac nuru Principibus, invitavit. Ludi militares dati, machinis adhibitis, ac musicis cantibus. Tum Legatus Spada Conradi urbem ac stagna lustravit, oblectationis gratia. Auctor qui omnibus illis interfuerat, sequenti die, bona fide, singula, ac mutuos etiam sermones, refert hoc carmine; quod eidem Cardinali Bononiam misit.

**T**ristia si libuit querulo describere cantu  
Funera, congestis vexantia cladibus urbes,  
Et mores damnasse malos; modo læta reponas,  
Musa, licet, damnorum expers, intacta periclis,  
Et castigatæ referas solatia mentis.  
Vivimus, ô socii, mediis in cædibus usque  
Illæsi, gemino cursu defendit aquarum  
Sic pater Eridanus, Venetis qua appellitur oris,  
Et qua piniferæ spectantur stagna Ravennæ.  
Proxima quin Rheni proles videt ecce salutem,  
Sospes Apollinæ quam debet. Felsina curæ

Pur-

Purpurei Spadæ, quam bruma, & lassa reducit  
 Funeribus Libitina suis. Ferraria, votum  
 Cælo solve libens, & flexo Numen adora  
 Poplite: non Baccho trivium, non compita ludant;  
 Non Venus insultet campis; sed casta beatos  
 Tecum sparge jocos, & frugi munere mensæ  
 Concipe lætitiâ; nec desit scena theatris,  
 Sed quæ virginibus rigidoque sit apta Catoni;  
 Moribus informet mentes, & viribus artus.  
 Incipe, fraternis præluceat sidere fausto  
 Iulius in thalamis; superum gratissima curâ  
 Iulius, è claro desponsam germine fratri  
 Qui jungit, sancto religans connubia nexu;  
 Incipe, sparge jocos; hilari convivium sensu,  
 Et circum innocuo celebrentur festa lepore.  
 Pegmata vicino consurgant æmula cælo  
 Vectibus arcanis, inferni mœnia Ditis  
 Ostentent sese flammis, & sulphure tetro;  
 Aut imitata salum tremulo trepidare labore  
 Lympha levis fluctu, timeat spectare coronâ  
 Naufragium puppis, fictoque expalleat Orcò;  
 Extemplo niteant nativis floribus arva  
 Et colles, fluviique fugax obmurmuret unda,  
 Hinc audax Phaëthon, currus auriga paterni,  
 Decidat, hinc galea fulgens atque ægide Pallas;  
 Hinc sævus Mavors, Titan hinc axe coruscus,  
 Et Venus & Veneris proles simulentur ab astris.  
 Sedibus Elysiis Trojanus militet heros,  
 Rupe sub Ætnæa gladium Titania proles  
 Efformet, rigidaque manus incude fatiget.

Romani vario transcurrat in æthere motu  
 Imperii genius, Tiberis præterfluat unda,  
 Et Padus, & Tuscæ non impar gloria gentis  
 Arnus : ubi placidis compleverint vocibus aures  
 Multifono cantu & gratis concentibus aula ;  
 Aera per liquidum fortes Ferraria cives  
 In campum demittat ovans, fulgentibus armis  
 Et galea nitidos, ingens quam pluma coronet,  
 Undique cristata. hos longis concurrere bello  
 Inspicias hastis, validoque effringere utrinque  
 Pectoris occursum, mox nudis ensibus ora  
 Appetere, atque ictus iterare in casside cecos  
 Ad mortem, ni tela Duces, dirimentia rixam,  
 Opponent, iraque graves in castra reducant.  
 Hos inter, geminos tenera certamen amores  
 Conserere armatos dextra, lethumque minari,  
 Militiæque pares credas puerilibus annis.  
 Dulce decus ludo spectatrix turba ministret ;  
 Heroes, equitesque simul, juvenesque senesque,  
 Matronæ, nuptæque una, mixtæque puellæ  
 Assideant gradibus. medio sed sponsa theatro  
 Vna supra cunctas niveo candore Beatrix  
 Purpureum niteat : cui ludi & scena laboret,  
 Cui celebrata suis ducantur festa triumphis.  
 Ardeat obrutu dilectæ conjugis uno  
 Franciscus, veroque assuetus pectora Marti  
 Ludicra Alexander dignetur bella parare :  
 Iulius, Eridani placido moderamine gentem  
 Qui regit, & sacro præfulget nobilis ostro,  
 Gandeat obsequiis præsens, cumuletque theatrum.

Regia

Regia conveniat Germanis sospes ab armis  
 Gens Gonzaga, feris belli vexata procellis,  
 Non animos demissa tamen. stet Carolus ore  
 Magnanimus læto, nurus hinc, & natus, & aula  
 Grata cohors, dudum amissos quos Mantua plorat.  
 Tuque ô Felsineæ moderator provide gentis,  
 Laureæ cui circum crines & purpura ludit,  
 Laudatum venies, docta stipante corona,  
 Et scenam, & thalamum, & fidei spectacula belli.  
 Mox ubi perfunctis Baccho, jejunia sacri  
 Indicent cineres, nostris spatiabere in undis,  
 Nec prius Italicam Rheni remeabis ad urbem,  
 Quam te detineant piscosi stagna Cymacii.  
 Digressos tecto, post Phœbi exordia, lintre,  
 Qua Padus in geminum scindit se parvulus alveum,  
 Hesperus Argentiæ dabit hinc appellere muris.  
 Interea dum nauta regit temone, trahentemque  
 Urget equum socius fuste, & retinacla gubernat,  
 Ducentur placidis Musarum gaudia curis,  
 Seu tua Mantoum vincentia carmina vatem  
 Seu rhythmis mirer, nativa & condita lingua.  
 Tum fidibus tentare melos, digitisque loquaces  
 Mobilibus velox huc illuc pellere chordas  
 Orpheus, Hispana Regis digressus ab aula;  
 Pectine concentus alter cui reddere eburno,  
 Et variare sonos. Ligurem committere Gallo  
 Ad rixam libeat modo, dum certamina gentis  
 Quisque suæ, veteres gaudet cecinisse triumphos.  
 Scommata festivo succedant jacta lepore,  
 Et risum moveant præclara poemata vatis

Qui duro Solymas arces canit hoste receptas,  
 Felsineis mutata modis, truncisque ligata  
 Vocibus, inque rudem vulgi conversa loquelam,  
 Tum navis juvet obductas aperire fenestras,  
 Amnis & undisoni ripas spectare fugaces,  
 Seu puppim ascensu superare, & noscere campos,  
 Ad lævam villas inter Garbana nitentes,  
 Nec procul Estensis laudata palatia Borfi.  
 Dexteræ habent valles, olim dixere Padusæ  
 Stagna; illinc tenui fluitabat Sandalus urna,  
 Hinc memorata diu stat Molinella vetustis  
 Cædibus, Herculeæ & Veneto dum milite Vbaldus  
 Sistitur Urbinas, Tusco & gens exul ab Arno.  
 Postridie Argenta solvemus, & amne secundo  
 Cernere erit qua bellantum Bastia cruorem  
 Miscuit Eridano, cum Alphonsus in agmina victor  
 Roborei Patris, ferventibus irruit armis;  
 Navibus antiqui junctis nam forte Vatrei  
 Zaniolam hic tacito trajecit milite fossam,  
 Atque duces subita percussos strage peremit,  
 Dum Prolegatus Rheni vix sospes ad arva  
 Evadit profugus, Martisque pericula damnat.  
 Mox Longastrini lævo nos aggere navis  
 Altera trajecto, falsis & fluctibus æquor  
 Excipient. spatii late diffusa solutis  
 Stagnat planities, nullis exculta colonis;  
 Non juga sentit ager, nec vomere cedit acuto,  
 Parva ratis superat, pellentibus incita remis.  
 His docti faciles versare ligonibus undas,  
 Et calamo tenui contexta mapalia terræ.

Conde-

Condere, qua surgunt tumuli. quin cura recentum  
 Ædificare casas didicit, cœmenta redemptor.  
 Et lateres vedtat, mediisque addensat in undis.  
 Nereus Hadriaco populis alimenta ministrat  
 Grata sinu; geminis valles interfluit oris,  
 Alternatque vices, & certis legibus arctas  
 Itque reditque vias, ac tandem divite vena  
 Ingreditur, piscesque parens ad stagna meantes,  
 Innumeras acies, & densa volumina ducit.  
 Parvula limoso concrescunt semina fundo,  
 Et venit undarum messis, cum sidere læto  
 Scorpius, aut lunæ complet vaga cornua Libra,  
 Turbaturque polus, nocturnumque æstibus æquor.  
 Lucida tunc odisse juvat cæli astra sereni,  
 Ventorumque graves optare in prælia vires:  
 Postulat id superos communi voce sacerdos  
 Ante aram, precibusque sacris pia vota secundat.  
 Vna hæc fœcundat valles, atque arva Cymacii  
 Tempestas pretiosa freti, & bene nubila Phœbe.  
 Neve, suum repetens, possessa in regna reponat  
 Turbatas undarum animas, sua pignora, pontus,  
 Cratitiis gemina occluduntur mœnibus ora,  
 Ora ad aperta dolis aditu, sed clausa regressu,  
 Et sua piscatrix partitur munera turba.  
 Limite arundineo distinguit quisque paludes,  
 Ordine sub duplici, parvus qua interjacet agger;  
 Tum socios operi jungit, pretioque cœmtam  
 Partem quisque suam custodit, & intima format  
 Cuspide in morem geminato carcere claustra.  
 Hic tractare manu libeat, seu figere telo

C 4

Pisces:

*Pisces : vimineis servantur in utribus illi,  
 Hi lembo oclusi terebrato ; morte peremptos  
 Pars secat in longum, falsoque adjungit acervo.  
 Hinc rerum genti cunctarum suppetit usus,  
 Hinc aurum, quo leta Ceres, quo munera Bacchi,  
 Quo Pallas, vestesque una vectantur ad urbem.  
 Ipsa mari propior Titanis conspicit ortum  
 Undis clara suis ; Padus hinc, atque effluit inde  
 Auster Primarum dextra, septentrio præbet  
 Volanam læva, portus, & fluminis ora.  
 De se si cupias cives audire loquentes,  
 Ac etiam libeat parvis componere magna,  
 Emula vel similis Venetæ celebrabitur urbi,  
 Ut quantum longe, tantundem pullulet illi  
 Ab radice minor ; medias fluxisse carinas  
 Dat via per fluctus, sicco vestigia gressu  
 Pars laterum firmat, crebris atque arcibus alte  
 Innixa, Hadriacas imitatur pontibus artes.  
 Si satyram spectes, & vatium jurgia quæras,  
 Piscigenum vulgus cœnosas incolit ædes,  
 Quas limus tetro corruptus complet odore.  
 Turba comes, pravi culices ; ni rana palustris  
 Officiosa tibi ad mensam lectumque recurret.  
 Quæ mala Sidonius doluit pressisse Ravennam,  
 Ordine perverso naturæ immota putrescit  
 Unda, cadunt muri, fruitant cum turribus arces,  
 Hærens cymba sedet, non surgit & ambulat æger,  
 Ipse jacet Medicus, geminatis balnea flammis  
 Argent, ad subitas conflaurant tecta favillas ;  
 Viventes in aquis sitiunt, nant ossa sepulchris.*

Credere sit neutri. se nostris adstruat illic  
 Certa fides oculis; civis nautæque nitere  
 Inspexi vultus, Iani cum bruma coactum  
 Astrinxit glacie stagnum, quam multa securis  
 Frangeret ante ratem, atque aditus aperiret in undis.  
 Tunc ego duratas pedibus tranare paludes  
 Ludentes vidi mergos, fulicasque sequaces:  
 Quin canibus lepores sectatus, ubi arida tellus  
 Vix tenui tractu discriminat æquore valles,  
 Et qua visceribus subter fons dulcis amaris  
 Surgit aquæ, populis usum potumque ministrans.  
 Scilicet hæc nobis oblectamenta paramus,  
 Numine propitio. sospes Ferraria ludos  
 Innocuos dabit, & rectæ bona gaudia mentis;  
 Seria mox valido repetentur munia sensu.  
 His ego jucundis adero comes, & fruor ultro  
 Laxamenta petens animo. Quondam ipse tacentem  
 Suscitât ad carmen plaudenti pectine musam;  
 Nec semper rigidos arcus intendit Apollo.

## XIX.

DIES VERNI, APVD VBIOS,

anno CID IDC XL.

**N**ingit nocte, pluit mane, afflat tertia, fervet  
 Sexta, gelat tum. Vnum quis putet esse diem?

C 5

XX. DE B. PE-

## X X.

D E B. P E T R O P E T R O N I O,  
C A R T H V S I A N O.

A pietate laudat, atque ab humilitate; qua permotus, sinistrae manus indicem sibi absciderat, ne Sacerdos promoveretur.

**V**irtus, ad imum nescia deprimi,  
 Velox sacratis fertur ad aethera  
 Pennis, nec unquam ævi fugacis  
 Fata nocent, dubiisve præcepit  
 Fortuna telis. Hac petiit polum  
 Vectus curuli nube per aërem  
 Divinus heros; hac triumphans  
 Fama canit, geminumque vivax  
 Accurrit axem, nec sibi terminos  
 Præscribit ullos, cum meritis neque  
 Sit meta summis. Vidit olim  
 Sena parens humilem, tonantis  
 Sacrum negantem tangere corporis,  
 Laevæ resecta parte, sed interim  
 Sinus, decora sede, cordis  
 Ara Deum rutilans fovebat.  
 Prudens remoto qui indice semitam  
 Signavit orbi, qua medium mare,  
 Mortemque transgressus minacem,  
 Astra petat, placidumque litus.

Hinc

*Huic postferendus Mutius, & tenax  
 Pompeius acrem missus ad Illyrin ;  
 Vtroque major, spreuit ignes  
 Tartareos, aliena solvens  
 Delicta pœnis. Ergo volubile  
 Aeterna vincet gloria tempus, &  
 Muto loquax sepulcro, adustos  
 Florida sub cineres vigebit.*

## XXI.

## IN OBITVM

FELICIS SAMVELIS  
 RATGEIËSCII, POLONI.

**A**Ger Apollineam precibus dum quærit alumnus,  
 Et medicam blando carmine poscit opem ;  
 Labitur in somnum, captus dulcedine, Apollo,  
 Nec puero gratas admovet usque manus.  
 Sic Felix perit infelix ; quaque ipse medelam,  
 Et longum petiit vivere, funus habet.

## XXII.

## DE EODEM.

**S**Pargite Castalides tumulum, date carmina Divæ,  
 Qua extincti pueri busta decorant nitent.  
 Vixistis quo vate diu, modo gratia par sit,  
 Debet hic in vestris vivere carminibus.

## XXIII. DE

## X X I I I.

DE DIVA MARIA MAGDALENA.  
IN GRATIAM EHERARDI  
SARACENI EQVITIS.

Fluctibus expositæ in solutili cymba, faustum iter  
precatur, ac prædicit, quæ, post appulsum in  
Galliam, eventura erant, propagato Baptismo,  
ex illo : *Et spiritus Domini ferebatur super aquas.*

**S**ic te Diva Dei parens,  
Sic cæli proceres, lucida sidera,  
Sic ponti regat arbiter,  
Præsit sanctior & spiritus auræ, ô  
Navis, quæ tibi creditam  
Debes Magdalidem cum socia manu  
Reddas incolumem precor,  
Et serves animæ præsidium meæ.  
Frustra sævior æquoris  
Vnda Rex Solymus, fraude solutili  
Cymbæ composuit dolos.  
Evincet levior quodque periculum  
Inconcussa minacibus  
Neptuni fragilis cymbula viribus.  
Felix remigio, feris  
I constantior exercita fluctibus;  
Perfer, nobilior novo  
Teque accinge operi : prælia classibus

MOTURA

*Motura innumeræ Stygis.*

*Non sic tot feret in Tartara portitor  
Prædas, dum rate parvula*

*Transcribi superos cernat in ordines  
Tot magnas animas, gemens  
Addi ludibrio turpius ocium.*

*O quantum Oceano latens*

*Fertur divitiarum! emicat aureum  
Vellus, quod pretio mala  
Tollit degeneris crimina seculi.*

*Hæc Argo melioribus*

*Mox afflata modis, carmine concinet,  
Angustam in Cererem, Deus*

*Qua duci cupiat sub prece mobilis :  
Elatum fidei genus*

*Auctorisque Dei dogma recentius.  
Isthæc vos, socii, manet*

*Sors, ut Massiliæ gens (trabe sutili  
Emenso maris impetu)*

*Vestro addicta novis munere legibus,  
Addatur Capitolio,*

*Heroum numero inserta decentior.  
Me saxa, & vacuum nemus,*

*Et desueta feris antra fugacibus,  
Sylvæ mensa beatior,*

*Et somnus gelidi me lapidis juvet.  
Idem non decor omnium est :*

*Vos majora vocant : quique tenet ratem  
Quassam Spiritus integer,  
Formabat tenerum sic ab origine*

*Mun-*

*Mundum ex Oceani vadis.*

*Idem informe pius crimina diluens,  
 Perlustret genus impium  
 Post mollita Patris fulmina sanguine.  
 Sacris Magdala vocibus  
 Dum facunda trahit corda sodalium ;  
 Servent mite silentium,  
 Edixit rapidis flatibus Æolus ;  
 Nec navis mare sorbuit,  
 Et tranquilla dedit murmura Nereus.*

## X X I V.

SEPULCHRALIS VRNA PRO FONTE,  
 in atriis Romanorum.

**M** *Armor, quod quondam cineres atque ossa tegebat,  
 Nunc fons irriguo murmure fundit aquas.  
 Nempe brevis queritur trepidantia tempora vitæ ;  
 Et quæ servavit funera, forte gemit.*

## X X V.

D E E O D E M.

**R** *erum disce vices : abit in cratera sepulchrum,  
 Quaque cinis steterat, mobilis unda fluit.  
 Non, hospes, compesce sitim ; sed parcius hauri,  
 Ne redeat crater quæ fuit urna tibi.*

XXVI. IN

## XXVI.

## IN PORTICV VILLÆ CHISIÆ.

Tertio à Senarum urbe lapide extat; vulgo Le Volte. Vbi exceptum hospitio refert Paulum III Pont. Max. Anno MDXLI.

**Q**uæ te nascentem felici sidere quondam  
 Muneribus natura suis cumulavit, & inter  
 Perspicuos leni properantes murmure rivos,  
 Frugiferoque solo, & cælo gaudere salubri  
 Chisia villa dedit, facilique assurgere clivo;  
 Maximus unde hominum custos, & maximus idem  
 Sacrorum Princeps Paulus, Tyrioque verendus  
 Murice Alexander, primævo flore juventæ  
 Matura virtute Nepos, succedere tectis  
 Haud rennere tuis, dominique accumbere mensæ  
 Servorum, cum sol à partu Virginis octo  
 Supra tercentum lustra exegisset, & unum  
 Pene annum, quarta Septembris luce; ruentum  
 Exitio cum forte Pater succurrere rerum  
 Anxius, ad Caroli congressum Cæsaris ultro  
 Lucam tendit iter, senique oblitus & Urbis:  
 Hæc eadem natura tibi meliore feraces  
 Nunc quoque proventu campos fœcundet & undas,  
 Gratior accipias hilares ut semper amicos,  
 Heroumque novo læteris semper honore.

XXVII. IBI-

## X X V I I.

## IBIDEM ALIO IN MARMORE.

Anno c<sup>o</sup> d<sup>o</sup> c<sup>o</sup> xxii, Magnum Etruriæ Ducem,  
Fratrem, Patrum, Matrem Austriacam, Aviam  
Lotharingiam, ac Vrbinatem Principem, eo di-  
vertisse, animi causa.

**H**eroum, ingenti qui te dignantur honore,  
Nobilitas hospitio domus, i, contermina celo,  
Culmine conspicuo, & Phœbo meliore nitentem  
Adde diem fastis, solidoque in marmore serua.  
Libra bis octonis superest quæ candida lustris;  
Ter solem ac vicies defert, Farnesius ex quo  
Maximus hic Præsul Paulus requieuit amice.  
Non uno posthac Regum lætabere prolis  
Accessu; Lotharinga decus Christina vetustæ  
Gentis, & Austriacis insignis Magdala sceptris;  
Roborensque, patri & patriæ spes unica, Vbaldus;  
Mediceumque genus, fulmen Laurentius olim  
Venturum bello, & Magnus, cui Tuscia paret;  
Nomine avo similis Fernandus, Carolus inde,  
Mathiasque puer, postquam venatibus agro  
Indultum satis; huc tandem sese atria circum  
Tanta cohors recipit, non dedignata clientem:  
Hospitis obsequium vultu complexa sereno  
Tecta subit, dapibusque sibi gavisâ paratis,  
Lustravitque ædem, & positis dedit ocia curis.

XXVIII. IN

## XXVIII.

## IN OBITU

MARIÆ MEDICÆ, MANTVÆ  
DVCIS OLIM, TVM SENARVM  
GVBERNATRICIS.

Venientem, nocturnis ignibus Vrbs, Saturni Dra-  
mate Academia, exceperat; sed intra biennium  
conversa est in luctum lætitia. Ejus laudes re-  
censet, &, quam ample eidem parentatum.

**G**entis propago Martia Dardana,  
Et imperantum, Sena, Quiritium  
Examem, Hetruscis colendum  
Vrbibus, Oceanoque natum:

Parentis olim Virginis in sinu  
Renata cælo; Cæsare Gallico  
Exempta damnis barbarorum,  
Inde tuis moderanda sceptris:  
Vrbs prisca, tandem Principe Tusciæ  
Regnante felix, excipe lugubres  
Quos Musa cantus affluentem  
Ad Tiberim miserata fundit:

Pro! quam fugaci se pede proruit  
Statim per auras aurea faustitas  
Iactata Saturni, brevesque  
In tenebras abiere soles!  
Non æqua fors, heu, quam cito gaudiis  
Amara miscet! quam male per vices

D

It

It major ærumnis, feroque  
 Injicit arbitrio tumultus!  
 Phryxi nitentis vix redit altero  
 Sub vere sidus, credita cum tibi  
 Augusta Præses, quæ peremta  
 Funere lætitiæ rependit.  
 Certans Olympo, turribus, ædibus  
 Illuxit omnis multiplici face  
 Nocturna tellus, expetitæ  
 Obsequiis venerata matrem;  
 Mox ordinantem res bene publicas,  
 Clarisque dantem munia civibus,  
 Solamen agris, improbisque  
 Exitium superesse vidit;  
 Hinc aucta cultu templa frequentia,  
 Compressa morum dira protervitas,  
 Summota paupertas piorum,  
 Compositæ sine cæde rixæ;  
 Hinc demta luxus cæca licentia,  
 Allecta virtus laudibus acrior,  
 Hinc copia affluxit, benigno  
 Secla ferens rediviva cornu.  
 Sed crescit illinc, heu, miserabilis  
 Mensura luctus: verte doloribus,  
 Sena, ô diuturnis, ademptas  
 Quas memoras gemebunda dotes.  
 Ferales nunc ô compita compleat  
 Funesta carmen; Cynthia lumina  
 Disposita quot vidit theatris,  
 Cum dominæ venientis ora

Optata

Optata vidit, per fora turbidus  
 Titan cadenti nunc totidem data  
 Funalia inspectet, ruensque  
 Lampadibus furiosa circum  
 Ludat juvenis, devia concito  
 Subinde cursu, seria pectore  
 Servans inextinctos honores,  
 Et lacrymas renovans sepulchro.  
 Tuque ô Camœnis turba Philomathum  
 Sacrata vatum, quem querimoniis  
 Dices pudorem? nœniamque  
 Quam modo carminibus repones?  
 Imago qualis saxea Memnonis  
 Nascentis astri tacta nitoribus,  
 Prædulce responsat, canensque  
 Æoliis fidibus resultat;  
 At occidentis percita lumine  
 Phœbi, querelis ægra remurmurat,  
 Et tibia durum obstrepente  
 Per Phrygios modulos citatur:  
 Sic luce cassam tu quoque Principem  
 Flebis, superbo pegmate qua diu  
 Lætata, quando ætas revixit  
 Falcigeri celebrata Divi.  
 Non una luctu tu tamen inclytæ  
 Duci parentas. Florida labitur  
 Qua pulcher Arnus per fluentia,  
 Magnæ animæ exuviis paratur  
 Sublimis urna, & Mygdoniis procul  
 Desecta campis marmora; regiæ

*Moli sacrantur: stant avita  
 Magnanimi monumenta Regis;  
 Fernandus, olim gloria purpuræ,  
 Mox scepra sumens stat tumulo Pater,  
 Primaque Germanus juventa,  
 Quem rapuit Libitina, Cosmus:  
 Hinc justa natæ sat Lothari genus  
 Christina solvit, funeribus suis  
 Vivax senectus, & decora  
 Austriacis mulier triumphis;  
 Laurensque, & ostro Carolus emicans;  
 Regnansque pubes, sanguinis inclyti  
 Et tota proles allaborat  
 Funereos decorare manes.  
 Quin ipsa mæsto Mantua Mincio  
 Matrem fatetur luctibus, & cinis  
 Gonzaga tædis incalescens  
 Gliscit adhuc sociare busta.  
 Late illa terris flebilis occidit,  
 At Sena multo flebilior tibi.  
 Ergo supremum redde munus  
 Exsequias miseras merenti.  
 Sed parce questu: Cecropio magis  
 Dicas cothurno, & laudibus efferas;  
 Divum supernis quam choreis  
 Relligio, & benefacta miscent.  
 Hanc tu coruscum sollicita prece  
 Verere sidus, si manet integra  
 Post fata virtus, si beato  
 Respicit intuitu procellas.*

XXIX. AD

## XXIX.

AD VRSVM COMITEM  
ILCIUM.

In gratiam Hectoris Ninii; cum ei primam ex Senecæ Tragoediis dedicaret, Hetrusco sermone ac rhythmō donatam.

**Q**uæ jam cothurno nobilis Attico  
Regum timendos Melpomene canens  
Regina casus, grandiore  
In Latium sonitu evolavit,  
Scenasque Athenis prætulit Italas,  
Præsens theatris seu lacrymabiles  
Videre vultus, seu timentes,  
Aut trepidum furiare pectus;  
Nunc vincita Tusci cyclade carminis,  
Novoque gaudens eloquio, ad tuum  
Accurrit aspectum, tuoque  
Nomine amat decorare frontem,  
Hetruriae Magni ô Ducis unice,  
Vatumque Meccenas; sibi te decus  
Annæus hic vult, te beatum  
Quem gremio Charites tulerunt  
Musaque Pindi, Socratica & domus  
Fovere adultum, quem sibi regia  
Extrema Iberi experta, mores  
Et fidem & ingenium probavit.

D 3

Quem

D

Quem consulentem inter Proceres amat  
 Vocatque mentem Curiae, & arduas  
 Res ordinare praepotentem  
 Tusciae amans dominator orae.  
 Victore tandem te perit invidus  
 Livor, nec annorum rabiem timeat  
 Obliviosam, quando Virtus  
 Imperio Nemesein coercet.

X X X.

## AD ANGELVM GRILLVM.

PRisca fides Ligurum sileat, quem funus acerbum  
 Plorantem ad superas fert abiisse plagas.  
 Sumserit albentes plumas, propioraque letho  
 Tempora festiuis vocibus ille canat.  
 Magne Senex, nivei reddis miracula Cygni  
 Nobis, & cantu nobiliore gemis.  
 Par senium vultu, Ligurum par gloria gentis,  
 Dispar laus querulo sed tamen ore sonat.  
 Impuros vagus ille, pios tu quæris amores,  
 Hic prope quam terras, tam procul ipse volas.  
 Exequiale sonans illi est vox nuncia mortis,  
 Ipsa tibi æternum Musa superstes erit.

XXXI. AD

## XXXI.

AD VIRGILIVM MARCHIONEM  
MALVETTIVM.

In gratiam Hectoris Ninii ; cum alteram Tragœ-  
diam dedicaret.

**P**er astra quo te corripis arduum,  
Claroque pictas lumine semitas  
Transcurris heros? ô vetustæ  
Grande decus columenque gentis.  
Descende paulum munera deserens  
Præclara mentis, qua sociabiles  
Musæ pererrant, & decentes  
Phœbus amat genialis umbras.  
Sen per latentes providus omnium  
Scrutare causas, jam sapientiæ  
Consultus, & terræ labantis,  
Et superi bene doctus orbis:  
Sen, quæ beatæ dogmata Patribus  
Lucis retexit conditor, aspicias,  
Deumque, divinasque formas,  
Et patrii decus omne Olympi.  
Sen, civitates quis deceat status,  
Queis corrigantur moribus, edoces,  
Quid bella, quid paces, qua & arte  
Sceptra cadant, maneatve, in auras

D 4

Dedisse

*Dedisse solers, dum sagulum geris  
 Equestre, florentem & senio volans  
 Præcurris ætatem : remitte  
 Ingenium levioꝛe cura ;  
 Nimisque Tuscis excipe vatibus  
 Graves cothurnos, Mæonidum chore  
 Sat notus hospes, & parentis  
 Nomine jam patiens vocari.*

## X X X I I.

## H O R O L O G I V M P V L V E R E V M.

**L**ympha olim vitæ divisit mobilis horas,  
 Qua servat gratas mollis arena vices.  
 Scilicet haud ævi potis est ars ludere cursum,  
 Quin referat, quæ te seria damna premunt.  
 Tempora per lacrymas monuit properare cadentes,  
 Nunc properante monet funere, quantus eris.

X X X I I I. V O.

## XXXIII.

## VOLVMNIO BRANDINELLIO.

Ostenderat Auctori poëma dramaticum, nuper impressum; ejusque sententiam rogaverat. hanc ipse eodem die, post lectam operis præcipuam partem, candide ac familiariter sic expressit.

**B**Vrenum, si nosse petis, me iudice, quantum  
 Quodve poëma sit, an flammis an luce probandum  
 Crediderim; ingenuum, satyra de more, faterer,  
 Si, quondam quæ major erat Venusina loquendi  
 Simplicitas, & quod dubiis in litibus acre  
 Iudicium Flacco, hæc eadem mihi fata dedissent.  
 Non impune tamen studiis melioribus horas  
 Nequicquam abstulerit varia farragine sartum,  
 Quod nova, quod vetera, & nimium tot dissita jungit  
 Drama; sed hîc breviter sensus penetrabilia pandens  
 Edicam. Fuit his unus de plebe diebus,  
 Qui Bacchi latices biberat, geniumque recenti  
 Versabat varie fœcundus imagine rerum.  
 Hic galeam capiti apposuit, rubeum inde galerum,  
 Mox regis diadema, togam superinduit atram,  
 Post multas pelles, plumas, & pallia centum;  
 Denique, ne multis, Regem, civemque, Duce[m]que  
 Et Capitolinum heroem sese esse putabat,  
 Agricolam, & maris & terræ cælique animantem.  
 Dicebam: quodnam ista recens est machina monstrum  
 Pannosumque chaos? tacita aut quanam arte movetur?

D 5

I s que

Usque adeo insipiens dum vult esse omnia, nil est ;  
 Et male confuso non noscitur ordine rerum.  
 Huic non absimilem speciem mihi reddidit ista,  
 Cui nec nomen adest unum, nec lingua ; animosus  
 Nam sibi cunctorum cupiens encomia vaturn  
 Autor Pacuvium gaudet junxisse Maroni,  
 Papinio Plautum miscet, Senecæque Catonem,  
 Verbaque bis senis tabulis furatus operta,  
 Dum se omnem jactat vatem, dat nullus haberi ;  
 Atque antiquatis sensum sub vocibus ultro  
 Personæ ignorant, auditor & ipse requirit.  
 Sic sibi dat meritam præsens audacia pœnam.  
 Qualis quæ terras exosa est barbara viles,  
 Affectans cœlos, vario gens murmure voces  
 Prodidit incomitas, nequicquam audita, superbum  
 Liquit opus ; nec par superis stetit ardua moles.  
 Maxima pars hominum sermoni intenta Latino  
 Arripit ex omni consuetas tempore voces,  
 Tentatura novas artes : disconvenit ille  
 Offenditque aures clamor, variatque tenorem.  
 Ut quondam juvenes, dum Bacchanalia ludunt,  
 Conclusos catulos arca, vexere quadrigis  
 Per fora, per plateas, circum caudasque ligarunt,  
 Quas mox transmissis per mille foramina loris  
 Attraheret cantûs præses, raucasque seorsum  
 Servaret voces, inde atque subinde latrantum ;  
 Horum sub numero claudit se Belgicus ille  
 Ferrens, & Plauti, & Senecæ, Tacitique colonus,  
 Rhetoris ignarus Fabii quid pagina dicat,  
 Discipulis prohibens puro cum Cæsaris ævo,

Ne desueta senis committant verba Catonis,  
 Quæ neque dixisset Cato, si tunc viveret. At me  
 Tantæ Burenus revocat novitatis amator,  
 Qui non verba sibi solum, sed totum opus ante  
 Vlli intentatum princeps eduxit ad auras,  
 Virgilii exemplo, Flacci, doctique Lucreti;  
 Qui sic Pieridum peragrant loca, nullius ante  
 Trita solo: juvat ire jugis, qua nulla priorum  
 Castaliam molli divertitur orbita clivo,  
 Et primum Latio Parios ostendere Iambos.  
 Sed male, quod prisco licuit, jam tempore nostro  
 Ille etiam licuisse putat. Cum quisque Latinum  
 Redderet eloquium, vivens ea lingua vetustos  
 Et valuit mutare modos & ferre recentes,  
 Augeri, minnique suis quoque vocibus ætas,  
 Ut sylvæ foliis pronos mutantur in annos.  
 At postquam antiqua periit facundia Romæ,  
 Quam nos ex mutis tentamus ducere chartis,  
 Nec sat, quæ quondam fuerit, novisse valemus,  
 Nec tenuem aut aspiratam recto ore profamur;  
 Non nisi quod Latia sub voce scientia quæque  
 Discitur, à primis illam perquirimus annis,  
 Quæ minni angerive nequit, quia mortua pridem est,  
 Atque recens alias invenit Thuscina voces.  
 Ergo hanc Hetrusco veniam Burenus habebit  
 A sermone libens, qualem Guarinus, & omnes  
 Accipiunt, quia vivit adhuc, redditque Latina  
 Vsq; vices linguæ. Quæ tanta audacia vati?  
 Unde hæc, post Latii strages & funera, fluxit  
 Verborum seges, immansi si vomere belli

Everts-

Evertere Gothi campos, & Vandalus acer,  
 Atque novis longe diversa renascitur hortis  
 Italia? unde hæc alternis sermonibus aptos  
 Fabula destituit versus, Venusinus ut instat  
 Atque Stagiraus? grandi quis carmine miscet  
 Colloquia? utroque heroum si facta canuntur,  
 Non tu permutes; Maro num vel Homerus Iambos  
 Promunt? Unde gemens querulo philomela fritinnæ  
 Murmure, Aristophanes scena prælusit eadem,  
 Dum ranas, volucresque sua de voce canentes  
 Ostendit populo? At Græcis quam magna potestas  
 Audendi fuerit, dicam; queis spiritus omni,  
 Accentusque manet verbo, queis ludere cuncta, &  
 Lascivire dedit Comus salibusque jocisque:  
 Non id ubique tamen; certis est Attica dictis  
 Gratia, nec tales, Fabio si iudice standum est,  
 Vnquam dicendi Veneres Romanus haberet:  
 Nec quisquam est ausus quondam, cum tantus in Vrbe  
 Proventus vatum recitaret carmina totis  
 Mensibus, & docto caneretur nenia vulgo,  
 Frontonis platani convulsaque marmora clamant  
 Semper & assiduo ruptæ lectore columnæ.  
 Adde, quod & ranam & volucrem parce tribus illic  
 Ludit Aristophanes in versibus; iste bis octo,  
 Bisque crepat senos. utinam meliora sequutus  
 Mandasset libris, cui grande est atque poëtæ  
 Ingenium: juveni quem tu cecinisse Maroni  
 Vel non absimilem dicas, si paucula demas,  
 Vel Senecæ æqualem, tragicum si scribat Iambum,  
 Ut saltatores confert, ut cantica promit.

XXXIV. AD

## XXXIV.

AD FRANCISCVM BALLATVM,  
IN OBITVM CELSI CITTADINI.

Rogatus à principe Academiæ Philomathum Senis, viri doctissimi mortem lacrymatur, ejusque laudes interferit, Romæ degens, ubi eum operiebatur.

*Q*uid ô retractas, non coëuntia,  
Impressa dudum vulnera pectori?  
Raptum dolori quid redonas  
Mancipium, lacrymasque cogis  
Inter fluentes condere naniam,  
Atque astra divis tangere questibus?  
Non sic honores nostra sacrat  
Præfica Melpomene sepulcro.  
Festiva molli tu melior sono,  
Francisce, tendes carmina barbito,  
Me dum renascens luctuoso  
Funere tristitia, heu, fatigat.  
Par efferendis non ego laudibus,  
Fundam querelas. Occidis, occidis,  
Lux una Senarum vetustæ  
Gentis, & Aonidum sacerdos.  
Nequicquam ad album te maneo Tibrim;  
Et fracta letho fœdera conqueror  
Amicus hospes, quo sepulta  
Des veteris monumenta Romæ;

*Qua*

Qua parte vastis molibus opprimi,  
 Tegique rursus contigit ædibus,  
 Qua summa priscorum regeſtis  
 Stant procul inferiora nostris  
 Delubra templis. occidis, heu, senex,  
 Materna Tusci quem colit arbitrum  
 Loquela sermonis; veretur  
 Quem Latii decus atque purum  
 Intacta Pallas; quem sibi vindicat  
 Solers alumnium Græcia; nec minus  
 Doctrina clarat, qua disertos  
 Esse Deus dederat parentes  
 Primos, superbi quaque operis ream  
 Vindex ab uno gutture miscuit,  
 Elata cum frustra supernos  
 Cessit humo Babylon triumphos.  
 Quid mollioris me iuuet ingenium  
 Artes referre, aut pergrave sensibus  
 Carmen Platonis, vel reclusis  
 Dotibus omnigenæ parentis  
 Mentem beatam, siue retexere  
 Doctam, vetustas quicquid in abditis  
 Caliginosa abscondit antris,  
 Seu gravidam serie recentum  
 Rerum, & notandis moribus integram,  
 Adempta quando quot mihi munera  
 Luctus tot extendunt in ævum,  
 Et memori lacerant querela?  
 Sors ægra faustum deterioribus  
 Quid non repensat? Protinus accidunt

*Vt rara nobis, sic repente  
 Se bona proripiunt: in horas  
 Merces laborum credita, redditur:  
 Coëmta damnis gaudia nec juvant,  
 Præcepta quantum nos acuto  
 Excruciant miseros dolore.*

## XXXV.

## HOROLOGIVM PVLVEREVM.

*E* Xiguus vitreo refluit qui carcere pulvis,  
 Dum rapido monstrat quo fugit hora pede,  
 Quam bene mortalis metitur munera vitæ,  
 Nostraque sub fragili tempora mole refert!  
 Captivi rapimur fati: quod vivimus, hoc est  
 Usque mori, & tenuis, quem capit urna, cinis.

## XXXVI.

## DE EODEM.

*Q* Vi pulvis nunc, lympa fuit, quæ lympa, Lycoris.  
 Hæc dum quærit Hylam, tota abit in lacrymas.  
 Irrequieta diu, guttisque tepentibus ævum  
 Dum secat, in cineres aruit ipsa suos.  
 Nec mores oblita, vagos jam quærit amores,  
 Itque reditque viam devia, seque fugit.  
 Heu, miseros quid tempus edax male vertis amantes,  
 Si redivivus adhuc funere torquet amor?

## XXXVII. FRAN-

## X X X V I I .

FRANCISCO CENNINO  
CARDINALI.

Cum, Nuncius Apostolicus in Hispania, Cardinalis  
crearetur, purpuram gratulatur, ac laudat.

**V** Ivax Iberis dum canit ultimis  
Te fama, & oras undique transmeat,  
Tuisque par interminatis  
Promeritis diadema nectit;  
Dum voce cantus format aheneos,  
Quamquam fluenti pascitur aëre,  
Tollitque caelo, & mortis expers  
Perpetuis monimenta gestis  
Aternat: intra ô consite Principes,  
Tractant perenni qui Capitolio  
Terrarum habenas purpurati, &  
Sceptra tenent propiora caelo:  
Ne sperne mollis carmina tibiæ,  
Quæ plausibus miscet popularibus.  
Dicam vetusta te micantem  
Progenie, patriaque Sena,  
Dicam potentis te Themidos jubar,  
Doctumque pectus, seu variabile  
Frenare vulgus, seu superbas  
Eloquio revocare mentes.  
Dicam peritum res bene publicas  
Componere, & Regum placide arduos

Novissè

*Novisse sensus, atque diris  
Consilio superesse fatis.*

*Majora certis præmia te manent,  
Restatque forsàn maxima pars tui  
Edenda terris. Hac sequar te, &  
Voce canam graviore Vates.*

## XXXVIII.

## NEMESIS.

Theodorico, Gothorum Regi Ariano, cœnanti,  
caput piscis, tamquam Symmachi, à se nuper  
occisi, terrorem, ac mortem intulit.

**Q***uem Geticus furor, & vecors magis implet Arius,  
Cerne, epulas inter quam male parcus hebet!  
Sanguine Christiadum madidus, sicco ore Lyæum  
Nauseat, & sitiens vina liquata fugit.  
Torquetur secum mens ipsa; sibi una, satelles,  
Et reus, & pœna, & carcer, & uncus adest.  
Dum damna insontum sua crimina pectore versat,  
Et dapibus curas pellere quærit iners;  
Dentibus exertis, oculisque minacibus, auro  
Illusus lauta piscis ab arte natat.  
Convivæ risum capiunt; Rex inde pavorem:  
Symmachus, exclamat, stat mihi lance minax.  
Terruit extincti species; umbratilis hostis  
Hunc jugulat, terris qui modo terror erat.  
Usque adeo & grandes animas, regesque superbos;  
Cum Deus est vindex, mortis imago necat.*

## E XXXIX. ITER

## X X X I X.

## I T E R M E L I T A R O M A M.

Triremibus illud Messanam ac Neapolin usque,  
tum vero lectica, actum, extemporali carmine  
complectitur; ac omnia, quæ contigerunt, bo-  
na fide recenset.

*S*exta dies aderat, Tauri qua plaustra regebat  
Ætherius Titan, Melitæ quum littora linquens,  
Anstralesque plagas, Arctoi sideris aura  
Germanum vocor ad Rhenum. Felicia saxa  
Multiplici ac tuto ratibus circumdata portu,  
Hortique, arcesque, æternum faustumque valete:  
Vos Cruce candentes, Europæ nobile pignus,  
Illustres Equites, metuendaque pectora Marti,  
Tuque ô Lascaride senio venerande Magister  
Votorum nova quem ratio ac diploma creavit,  
Tu Frater, tu care Nepos, Civesque, valete.  
Sic lacrymans ergo Melitæ divellor ab oris,  
Et me remorum puppis vi ducit in altum,  
Cui sacra designans Nicolai affulget imago.  
Impatiens maris exsomnia diducere noctem  
Compellit stomachus, miseroque regurgitat æstu.  
Aurora interea Siculas ostendit arenas,  
Vnde onerant naves Cerere; has dixere coloni  
Ad Puteal; notus priscorum Caucana portus:  
Turritum rado, Zephyro spirante, Pachinum,  
Quasque

Quasque vocant nautæ claras Bindicaris undas,  
 Et scopulum infami signandum nomine Longi,  
 Unde Utica immani geminas cum strage triremes  
 Abduxisse tumet, Melitensi ex agmine prædam;  
 Punica væ nimium populis infensa Latinis  
 Corda! iterum sitiunt nostrorum in bella cruorem  
 Posthuma, Barbaricis Libyæ rediviva carinis;  
 Vos mare, vos venti aversi, vos sidera perdant.  
 Casu illo extincti cædem miseratus amici  
 Dum sociis memoro, plenis feror æquore velis,  
 Atque Syracusia post quintam exponor in urbe.  
 Reliquias tennes proh magni nominis! illic  
 Fons, Arethusa, tuus sordet; vix signa theatri  
 Exstant; sola tonat geminatis vocibus echo;  
 Innumeris tellus superest effossa sepulchris;  
 Exeso oblique sinuatus marmore carcer,  
 Et lapides cæsi, referunt nunc usque tyrannos.  
 Hospitio excipiunt Patres, vinoque suavi  
 Me recreant: magna hæc populis atque unica merces.  
 Postera lux terras aufert: medium ipse triremis  
 Occupo, nam centro minor est ex æquore motus,  
 Nec stomachum lædit. Portus, & mœnia parvæ  
 Augustæ inspicimus, Megaros, Hyblæaque prata  
 Ardentemq; Aetnam. Catinam tum, Tauromenonque;  
 Transimus noctu; Phœboque oriente, furentem  
 Ex arcto pontum velis remisque secamus,  
 Dum sociam averso navem molimine fluctus  
 Impediunt; rabidaque tua, Zanclea, Charybdæ  
 Posthabita, quarta terris appellimus hora.  
 Lunata immensum circumdant cornua portum;

Marmoreis domibus Philiberto ornata Sabando,  
 Dum regeret gentes : stant summa palatia regum ;  
 Aenea prospectum decorant simulachra Ioannis  
 Austriaci : extrema pertingit Nerea sponda  
 Fons Parii lapidis ; senas hic Mello triremes  
 Sicelidum prorex, & rebus magnus agendis,  
 Parthenopen tendens adjungit. incestus amicum  
 Præcipiti lapsu perculsum linquo, marique,  
 Post geminum solem, rursus me trado fluenti.  
 Mittitur, & quoniam, regalem nostra Panormum,  
 Altera me recipit puppis, quæ nomine claret  
 Divinæ Matris, sequitur Victoria cursum ;  
 Ambæ armis validæ, remis pernicibus ambæ,  
 Albentesque Cruce. octonæ procedimus una,  
 Solventes portu bombis, fremituque tubarum.  
 Per noctem stetimus ; præruptum sole nitente  
 Trajicimus Scyllæ monstrum, perflantibus Austris,  
 Magnasque undanti spargentem vertice flammam  
 Strongilon : à dextra scopuli, Gioiæque recedunt,  
 Euphemique sinus, notum Lametia nomen  
 Oenotriis, miseræ terrarum motibus urbes  
 Concussæ nuper, Cive & quæ Paulla nitescit  
 Adscripto superis, ac terra Lemnide turget.  
 Nauseat interea stomachus, refugitque soporem.  
 Altera lux oritur ; nostro Palinurus ab ore  
 Avolat, & littus Policastri, & molle Salernum,  
 Cui tumet hinc sinus, hinc Pæstana rosaria crescut :  
 Me non aura levis recreat, non læta jacentem  
 Scommata, quæ remex, alternaque jurgia, fingit,  
 Nec placide ludens festivo simius astu.

Hesper.

*Hesperus adducit Capream, Dicæarchidos arcem  
 Nox fert, à Puteis retinet vicinia nomen.  
 Septima lux Maji, dum undis exæstuat æquor,  
 Dat cymba tenui Baiarum tangere littus,  
 Et longam rheda celeri traducere cryptam.  
 Quis vastum labor hic montem terebrasse, viamque  
 In rectum lato sculpfisse in fornice saxi!  
 Obscuro, mirum, nullæ sunt tramite fraudes,  
 Præterit & tutus quavis cum merce viator.  
 Antrum Relligio servat, mediumque Mariæ  
 Excolitur numen, parvaque è lampade fulget.  
 Parthenopem nona ingredior; dum tota supellex  
 Atque una famuli pinu vectantur eadem  
 Tibridis ad fauces; paucis comitatus in urbe  
 Chalcidica sisto, membris ut grata vigorem  
 Restituat statio. nequicquam; nuncia mortem  
 Fama refert caræ quondam genitricis; amatos  
 Annis bis septem vultus spectare petentem  
 Mors inopina rapit: senium, prudentia, mores,  
 In Cælum, pietas, natorum & vota tulerunt,  
 Marsiliæ, Senis, decus ô memorabile gentis.  
 Obvius huc nostri successor venerat ante,  
 Quæsitur Fidei, Melitam tuto æquore tendens,  
 Insignis Præsul, Civisque: huic muncri omne  
 Committo arcanum, ritusque, & jura regendi.  
 Non hîc Pausilipi collis, non Mergilline,  
 Non cineres vatum, Græcæ non otia gentis,  
 Deliciæve juvant: prisca monumenta decoris,  
 Munitæque arces, & magna incendia montis  
 Frustra me invitant. Vna hæc satis anxia cura*

Corda premit, matrem amissam, Neritique negatuna  
 Visere desponsam, & sanctæ connubia Mitra.  
 Quinque dies igitur Sirenum sede moratus,  
 Hora digredior sexta: lectica nepotem  
 Meque vehit; subito Aversam, majoribus olim  
 Atellam, notam ludis scenaque jocisque,  
 Transimus, Capuamque die inclinante subimus.  
 Quid non longa potest ævi mutare vetustas?  
 Horret ager, pallent populi, vix umbra potentis  
 Ac cineres Capuæ; vastæque cadavera molis  
 Trunca vides. Isthæc, quæ floruit æmula Romæ,  
 Hannibalemque ferum, Bacchi Venerisque beatis  
 Deliciis, auroque simul luxuque, subegit,  
 Nunc prostrata jacet: titulum minor altera servat  
 Quæ prope Vulturnum; dimittit Phosphorus unde,  
 Nec sinit eximii me Præsulis ora videre.  
 Prandia dat Geticis exim vicinæ tabernæ  
 Mœnibus, ut perhibent, Catanensi à Virgine claris.  
 Huc sacer Orator casu convenit, amicos  
 Currit in amplexus, alternaque verba profamur.  
 Insertis teritur restans mox Appia saxi;  
 Minturnas, Marii campo's & vidimus udos  
 Exulis effugium; tacitumque in gurgite Lyrin  
 Non rate transimus dubia, sed ponte trabali  
 Edomitum ruper; noctu pervenimus urbem  
 Ad Mamurrarum, mutata voce recentes  
 Quam dicunt Mollam; cui contra Æneia natrix  
 Cajetam statuit portu, celsaque superbam  
 Rupe; hic Pontificis vexatas forte triremes  
 Tempestate maris, superum vi dicitur usque

Serua

Servatas; nudi pedibus, lacrymisque precantes  
 Certatim subeunt templis nauta atque viator.  
 Mane hinc ad Fundos declives labimur, AppI  
 Semita quo ducit. Colles stant undique circum,  
 Aura tepens hortos, & citria poma per annum  
 Educat; at campum casuraque tecta colonus  
 Rarus habet; vigili servatur milite porta,  
 Durus ubi exactor vectigal pendere cogit,  
 Aurum nec patitur nec mercem sedulus ultra  
 Efferi, redimat ni multa pecunia fraudem.  
 Leticam sexta petimus, nemorumque per umbras  
 Perque maris littus nona devenimus Anxur.  
 Sublimi antiquum saxo supereminet Anxur,  
 Ad laevam spectat Circaeï culmina montis,  
 Et refrago expellit spumantem Nerea dorso;  
 Nunc Terracina est nomen; plebeia tecta  
 Lustramus, veteresque ædes, rarumque popellum,  
 Ac nimium tragici quondam monumenta theatri.  
 Inde suburbano tenui nos caupo malignus  
 Detinet, exiguas epulas vinumque ministrans.  
 Surgimus, & Volsca prognatam gente Camillam  
 Porticibus pictam Priverni inspeximus; illius  
 Sanguine Romulidum clarus discesserat ante  
 Pene horam Præses; scriptis huic mitto salutem,  
 Fortunam damnans, vetuit quando ora tueri.  
 Undecima attigimus rivum, quem sæpe viator  
 Serus init lembo gracili: prope commoda somnum  
 Præbent tecta, Novas Ædes dixere coloni.  
 Hinc matutino abscessu lente imus ad usque  
 Occlusam portam; pretio convicia miscens

Quam referat querulus, quicumque huc transeat hospes:  
 Et Sermonetæ summo surgentia clivo  
 Mœnia cernentes, parvo emittis vespimus effcis  
 Ima taberna tuis. Celeri lectica Velitras  
 Ad decimam passu defert, Octavia proles  
 Olim, Cardinei decorat nunc Purpura honoris:  
 Eminent urbs campis; urbi Prætoria celsa  
 Stant super, atque foro grandis præfulget imago  
 Aenea Pontificis, referunt & carmina laudes  
 Magne VRBANE tuas. ad lævam luce sequente  
 Cernimus umbrosi speciosa palatia Castris  
 Gandulphi; domus ô Charitum, sacra otia Musis,  
 Rus BARBERINVM, sylvisque virentia parvis  
 Stagna lacus puri: post quartam mensa Marini  
 Detinet, & volitans lusum dat mitis hirundo.  
 Ductus aquæ quondam, factum cui Tepula nomen,  
 Grande opus, & multis assurgens arcibus alte,  
 Dirigit ad Romæ portam nos usque Latinam;  
 Hic sacer Astrææ præsul currente quadriga  
 Obvius excipiens, caris stipatus amicis,  
 Hospitium donat clemens, geminatque favorem.

## X L.

## ITER FERRARIA COLONIAM.

Qua terra istud, qua fluminibus Mæno Rhenoque,  
actum Anno CIO IOC XXXIX, profequitur; no-  
tatu digna, quæ viderit, recensens.

**Q**ui Prolegati jamdudum munere functus,  
Exacto felix tecum Ferraria lustro,  
Tantundem Melitæ Fidei Quæstor obivi;  
Ecce iterum tua tecta libens, atque arva, reviso,  
Dum celer ad Rheni regiones Nuncius, æstus  
In medios, propero, magni quo jussa sequentem  
VRBANI impellunt. Quartam præbebat Iulus  
Lucem, cum Eridanum transgressus ponte abiignis  
Navibus imposito, medio quem flumine, longo  
Devinctum fune, ac verso temone fluentem  
Obscuri dixerè Lacus: per plana recedens  
Bentivoli siccata manu, cedentibus undis  
Imperio Cereris, Trecentæ ad prandia veni.  
Hic nos ad dextram transmittit Tartarus oram  
Innocuus, comitemque suo dat se aggere plenus  
Proximus illi Athesis: Lignani sole cadente  
Mœnia contigimus, rigidus verum inde repellit  
Occlusæ custos arcis, noctisque per umbram  
Cogit ad Anghiari infelix divertere tectum,  
Hic ubi sicca fames lassis somnum artibus arcet.  
Postera lux oritur; non mundo nomine dicta

E 5

Insula,

*Insula, tum recreat dapibus, patriamque Catulli  
 Ostentat celebrem; planis interluit illam  
 Cœnomanum campis Athesis, clivoque resurgit  
 Vrbs, cultu hortorum, ac veteri spectanda teatro:  
 Dives opum, populoque frequens, domibusque superba  
 Scaligerum quondam, Venetum nunc sceptraveretur,  
 Amisso hinc famulo, quem labes Græca notabat,  
 Digredimur sexta, triviis, miserabile visu,  
 Obvia ab arboribus suspensa cadavera fontum  
 Inspicimus, læva refluxus dum labitur amnis  
 Impiger, angustaque utrinque à valle receptus  
 Præruptæ rupis, Clusam dixere coloni;  
 Miles ubi exiguum callem custodit in arcto,  
 Leticamque humeris transfert. pervenimus inde  
 Dulcevum, Venetæ pagum ditionis, ad horam  
 Undecimam, & mane ad quartam nos detinet Alla  
 Hospitibus gratis; prima hic hypocausta videri  
 Hyberna incipiunt; Germani Principis urbe  
 Constitimus noctu, Robur cui nomina fecit.  
 Euganeis quondam regio populata recedit,  
 Qua læva exoriens diffundit lumina Titan.  
 Sancto Concilio Patrum laudata Tridenti  
 Tempora diem, & dulci nos Præsulis ora morantur  
 Alloquio. æstivum nocturnus mitigat imber  
 Phœbum, & perniciem damnosi pulveris arcet.  
 Ad Levis pontem placido sermone benignus  
 Deducit civis; reficit mox mensa Salorni,  
 Auraque, quæ nimbos udoque tonitrua cœlo  
 Evocat, & madidos vicinam pellit ad Egnam.  
 Frigida Bolzanum cœnosaque semita ducit,*

Empo-

Emporium felix, ac multis mercibus aptum,  
 Germanis Italisque & Gallis collyba mutat.  
 Liquimus hic Athesin pransi, Vallemque Venustam,  
 Tirolique arcem læva, dextraque gemelli  
 Excipimus strepitus Atagis per confraga saxa  
 Precipitis; noctu fessis exile paratur  
 Hospitium Colmar; comitem tum fervida febris  
 Occupat, & famuli incerto vestigia gressu  
 Obliquant, Baccho madidi; per compita aberrans  
 Ebrius hic medio solis disparuit æstu,  
 Æthiope amisso ad noctem comparuit ille:  
 Post ortum lucis læticiæ confidet æger.  
 Ipse equitans Rhætis exulta ferocibus arva,  
 Et Brixinensem Zephyris vernantibus urbem  
 Devenio; vino puras hæc addidit undas,  
 Frigore quæ certant, nivibus per proxima montis  
 Culmina conspersis: argentem exponit ad urnam  
 Exiguus Mols; hinc placida transacta quiete  
 Nox est: Sterzingam ascendo, celebrata fodinis  
 Argenti loca, Phæboque exoriente nivosum  
 Ad Pyrenæum, per celsa cacumina Preiner  
 Quem vocitant montem, Arctos revolutus ad Alpes  
 Dimissoque Atagi, (Laisack dixere recentes,)  
 Steinachium versus declives labor in oras.  
 Extrema medio descensu carmina sponda  
 Æri incisa locum signant, ubi Carolus orbe  
 Hesperio rediens Cæsar, venientis ab Oeno  
 Ferrandi Austriaci amplexus fraternaque amoris  
 Excepit signa. hinc præbet Greis prandia, serra  
 Qua, fluidis agitata, trabes intersecat, undis.

Marræ.

Matra rigens cœnam ponit ; Matreia Latinis  
 Scribitur : hinc illinc rivis labentibus , Oeni  
 Venimus ad Pontem, Inſprukum cognomine vulgi.  
 Hanc Tusca Austriaci moderatur Principis urbem  
 Iamdudum conjux , ſceptrum ceſſuraque natis  
 Inſignis pietate præit, cunctiſque verenda.  
 Ad trinam hic lucem ſubiſto, exceptus honore,  
 Delicias Ambrae, arma Ducum, ſimulacraque Regum  
 Aenea ſacratas laudo diſpoſta per ædes,  
 Reliquias divum, gemmis auroque nitentes,  
 Templaque magnifico Patrum ſurgentia ſumtu.  
 Hic pluvia aſſidue, nebulaeque, nivesque perennant ;  
 Atque ideo hybernas æſtivo frigore veſtes  
 Indutus, propero Seefeldt, miracula templum  
 Servat ubi, ſacram Cererem, cantique reſſum :  
 Nobilis ancipiti quondam cum mente ſuperbit,  
 Et majora petit non flexo poplite liba  
 More Sacerdotum, vix aræ acceſſit, & ipſum  
 Cepit dura ſilex pedibus calcata prophanis  
 Hiſcere, ſtant ſaxo cava adhuc veſtigia crurum  
 Impreſſa, ac dextræ, ſanctis quam admoverat aris.  
 Tum Mittenwaldi, Phœbo inclinante, quieſco :  
 Hinc lacus aſpicitur tremulis ſpatioſus in undis,  
 Quem circum colles ſylvæque umbraeque coronant.  
 Veſcor ibi ; at valles jam jam pertæſus iniquas  
 Montesque, in planas camporum transferor oras,  
 Stagnaque ; dant ſomnum Patribus vicina beatis  
 Hoſpitia, ut nomen ſervant. Lux poſtera, Wolfers-  
 Hausen tecta aperit, quondam ſtatione peracta  
 Vidrici hoſtilis flamma combuſta Suedi,

Prata

Prataque, & ex cultos campos, Phœboque tepentes  
 Auras, Munachiumque, senex qua regnat in urbe  
 Dux, clarus pietate, armis, atque arte regendi;  
 Quamque Isarus lambit, Boiis Isarisca vetustis.  
 Hic ego, privatus visens delubra viasque,  
 Agnitus excipior curru, sonituque tubarum,  
 Inque Palatinas deducor comiter ædes.  
 Innumeras ædes connectunt atria circum  
 Grandia, porticibus longis circumdatur hortus,  
 Fontibus exiliunt undæ; monumenta decorem  
 Argent, seu varii lapidis, seu fusa metallo.  
 Multiplici splendent auro laquearia picta,  
 Cælatas valvas, pretiosa aut marmora cingunt,  
 Aut plastes variis illudens artibus ornat;  
 Codicibus cultis hinc Bibliotheca renidet;  
 Hinc veterum effigies magna spectantur in aula;  
 Turmaque nobilium stabulo servatur equorum;  
 Regia, Cæsareo hospitio devota, nitescit  
 Haud minor ætheria solis, quam carmina fingunt.  
 Impia Suecorum flexerunt lumina regis  
 Deliciæ; obstupuit visis, flammisque pepercit.  
 Omnia miratus regali condita luxu,  
 Assiduis quamquam pluviis cœnoque refertas,  
 Erro vias, Pruchamque peto, qua labitur Amber.  
 Interea Bavarus transmittit munera Princeps.  
 Digredimur pransi octava, parvoque cubili  
 Dat tenuem victum Fegerbach rusticus hospes.  
 Imbre madens exin Fridbergæ incendia cerno,  
 Ad dextram rursus surgentis, barbarâ postquam  
 Agmina cesserunt: ad quintam me tenet, amne

Vallata,

Vallata ac muris, Augusti nomine dives  
 Vindelica, urbs quondam multis exculta colonis.  
 Hic Lycus hic Vindo geminatim confluit; altas  
 Scandit lymphæ ædes, arctis siphonibus acta,  
 Ingenio gentis, proprio mox pondere multis  
 Fontibus effundit sese, rursusque per auras  
 Sponte sua levior resilit, luditque cadendo  
 Per medias æris statuas; hic machina portas  
 Dum referat coram hospitibus, post terga recludit:  
 Dædaleæ arcanis pulsantur motibus horæ,  
 Æmula naturæ astrorum ingeniosa volatus  
 Sphæra refert; solisque vias, lunæque labores,  
 Exiguus miscens immensos orbibus orbes.  
 Bellica sat multis hoplothea refulget ab armis.  
 Hic artes cultusque vigent, hic curia splendet,  
 Templaque, sed miseram vexat nunc hæresis urbem.  
 Rheni ad castra ducem Weimarum funere cassum  
 Fama refert, passimque hostes sub signa venire  
 Cæsaris; hic lucem ingratam mihi tædia & imbres  
 Efficiunt, magno tæupo quam vendidit auro.  
 Afferimus Westendorfi, queis vescimur, escas,  
 Et Donawerdæ decima consistimus hora.  
 Insula Danubii Germanis voce Latina  
 Vertitur; urbs Bavaræ concessa, binominis Istræ  
 Adjacet ad ripam, tenues qua Wernius undas  
 Admiscet, dudum crudelis præda Suæci,  
 Bellorum flammis ostentans diruta tecta.  
 Sol simul illuxit cælo, nos grande subimus  
 Cænobium Kaisaim, desolatoque jacentis  
 Puechdorfi colles, Monhaimque ex hoste paventem;  
 Namque

Namque ubi viderunt venientes, arva fugaci  
 Corripuere pede agricolæ, jumenta trahentes  
 Ad castrum; patuit juxta accedentibus error,  
 Excussique metus; dapibus tum vescimur; omen  
 Infaustum fingens, sextam quod solverat ante,  
 Subvertit currum demens auriga; cadentum  
 Alter crura dolet, caput alter; hic ora, latusque.  
 Dextera Wiltzburgi eminent arx invicta Sueco;  
 Dant Weissenburgi defessis moenia somnum,  
 Rednitzi ad rivum, hæretico dominata furore  
 Imperii tellus; prædonum hic agmina fertur  
 Insultare viis, spoliisque inhiare per umbras  
 Sylvarum; atque ideo pretio conducere iniquo  
 Cogimur armatas acies, ipsumque timendum  
 Tutamen. Bello semiuertam Teutonum urbem  
 Militis Oellingam, & Pleinfeldt lux postera monstrat  
 Per dubios colles. Rotti tum campo malignus  
 Detinet, extorquens mentitis artibus aurum;  
 Et Norimbergam, hinc tempestas orta, latronum  
 Inde timer, propero cogunt contendere cursu.  
 Hercyniæ in medio sylvæ gens Norica tutum hanc  
 Effugium exstruxit, campos populantibus Hunnis.  
 Assurgit placide clivo, circumdata muro  
 Urbs gemino, centrum Germanis; dividit undis  
 Pegnitiis; veteri miles supereminet arce,  
 Quam circum turres & propugnacula cingunt;  
 Artificum ingenio pollens, populoque frequenti,  
 Lata vias, plateas, immensa palatia, templa,  
 Fontesque ostentat, cæco sed lumine, falsa  
 Religione tumens, Erebo sua funera debet.

Nuncius

Nuncius, hostiles prædatum hîc serpere turmas,  
 Bambergam versus merces, armentaque equorum,  
 Fert lacrymans; equites ideo, cedente senatu,  
 Et tubicen sumti: Ermstkirchenum ad inhospita tecta  
 Noctu imus, paleæ præstant sat molle cubile;  
 Arma manu socii disponunt prompta, suasque  
 Excubias: nebula abscessum comitante, Neustadt  
 Reliquias belli miseras, incendia, plorat,  
 Desertasque plagas; Langenselti arva, Pibrachi,  
 Maternæque Ceres complet, parvisque Lyæus  
 Vitibus exornat, Moenus qua interluit amnis  
 Kitzingam: Vpilio Pipini hanc condidit urbem,  
 Ut perhibent Franci, templum claustrumque beata  
 Filia Adelheidis; noctem hîc producere somno,  
 Et siccare iuvat vestem unumquemque, madentem  
 Imbribus. Herbipolin melior via, & algida vento;  
 (Wirzburgum vulgo) post quartam præbuit horam.  
 Hic placido regit imperio Dux Franconas, idem  
 Et Pastor, dives populis auroque, priusquam  
 Barbara Gustavi spoliarent arma tyranni.  
 Lux erat Ignat I Loiolæ debita sacris  
 Pervigil, huc sera pertractus nocte quievi;  
 Prævenit obsequio Princeps, unaque sacello  
 Assidet, ac mensæ Patrum; tum comiter ædes  
 In proprias transfert, multumque impertit honorem.  
 Hic lustrare datur miseri vestigia belli,  
 Arcem expugnatam, abruptumque è marmore pontem;  
 Dejectasque domos, prædataque templa profanis  
 Vsis addicta; antiquo sed cuncta decori  
 Restituit Princeps; studiis Collegia sacris

Instructa,

Instructa, innumeros olim servantia ephesos,  
 Et depellendis exin tecta hospita morbis  
 Commoda, perfugium miseris, prædivite censu  
 Fundata inspicimus, cultuque virentia late  
 Hortorum. Augusto interea reddente Kalendas;  
 Permutatur iter; comitum pars altera cymbæ  
 Sarcinaque immissa, oblique qua circuit agros  
 Mœnus; nos sequimur recto quo tramite rheda  
 Principis advectat. Trifenstein Hesperus omnes  
 Iungit, ubi divo Augustino addicta caterva  
 Officiosa, dapes ubertim ac vina ministrat.  
 Solvimus inde ratem remis, cursuque secundo;  
 Paucula sufficiunt victum jentacula, lembo  
 Advecta, atque sitim compescit frigida, castrum  
 Quam donat Werthain, Comitum prænobilis ades:  
 Arces interea conscendit navita, Crosmel;  
 Et Rotenselum, merces vectosque recensens.  
 Appulimus noctu Freidenberg, imbre cadente;  
 Klingenberg, & Werdt, adverso postera vento  
 Obernburg Wolstatque aperit, cinerumque potentem  
 Urbem Aschaffenburg, juxtaque palatia celsa,  
 Magnorum regum veteres æquantia moles:  
 Turribus assurgunt cælo quadrata rotundis  
 Tecta, Moguntiaco constructa à Principe nuper.  
 Addimus hic socium Francisci ex Ordine divi;  
 Tarda rates pluviis exponit nocte Selingstat,  
 Quam Selgenstadium Saliis auctoribus olim  
 Indigenæ positam jactant; nunc Martia cædis  
 Damna gemit: tenuis reficit nos mensa tabernæ;  
 Et cellam dives Benedicti commodat ades.

F

Exoriens

Exoriens Titan suasit procedere lintrem :  
 Ad laevam Steinheim jacet, Hanau dextera ripæ  
 Occupat, exiguis juxta qua confluit undis  
 Kuntzichius, fossa & gemino circumdata vallo,  
 Aggeribusque tumens ; præreptam milite Adolphus  
 Munit hanc multo, Martis certamine victor  
 Sed recipit Cæsar : sua nauta hic nomina pandit  
 Imperio promptus, petit inde umbracula, Mœno  
 Qua salices altæ, sinuoso in margine, præstant.  
 A quinta hic bibimus, sensimque appellimus uda  
 Mœnia Francfurti. Urbis propugnacula cespes  
 Aggerat, atque novo surgunt molimine turres.  
 Trajectum signat nomen ; pons Saxenhausen  
 Marmoreus jungit, vertas quam Saxonis ædes,  
 Arcem prævalidam : confertis accola dives  
 Mercibus exultans, auro ferroque superbit ;  
 Libera gens gaudet sacro diademate crines  
 Cingere Cæsaribus, misero sed corde rebellans  
 Thura Deo superisque negat, cultumque vetustum.  
 Rident hic pueri Æthiopem, saxisque repellunt  
 Ad lintrem ; abscedo, veterem complexus amicum,  
 Oppidulumque peto modicum miserabilis Hœstæ,  
 Ignibus absuntæ magna cum Principis aula.  
 Nubila lux sequitur, Kelsterbach, indeque Vlersheim,  
 Russelsenque, novo & Gustavi nomine monstrans  
 Munitas arces. medium orbis sole tenente  
 Ingredivimur Rhenum ; lævaque Moguntia ripa  
 Emicat, Augusti privigno condita Druso.  
 Imperii vacuos fasces & jura sacratus  
 Dirigit hic Princeps, & magni vota senatus,

Quo

Quo legitur Regum supremus in orbe futurus.  
 Templâ nitent, amplæ visuntur Præsulis ædes,  
 Rara vias calcat latas, & rara Lyceum  
 Turba colit; Sueci restant incendia Martis;  
 Sublimis magnæ collis supereminet urbi;  
 Hanc duo collustrant inventis secula miris;  
 Musarum genio decus immortalæ, dedisse  
 Centeros celeri libros excudere prælo,  
 Non tarda scripsisse manu; stat plumbea quæque  
 Littera lamellæ sculpta, at quæ jungitur apte  
 In verba, & versus, atroque affecta colore,  
 Imposito premitur folio, rursusque solutæ  
 Litterulæ, cœunt rursus, varioque tenore  
 Mox repetunt opus, atque immensa volumina præstant.  
 Excipit hic ergo Princeps, & fronte serena  
 Detinet in noctem; tum navis grandior, atque  
 Remigio pollens, adverso flamine quamquam,  
 Nos capit, atque Elfelt, Erbach, Gysena, Rodesheim  
 Trajicit, & Bingæ sua vectigalia solvit:  
 Ansonio ad Navam Gallo memorata fluentem  
 Vrbs quondam magni fatalis funere Drusi:  
 Hinc læva evitans scopulos in parte latentes,  
 Qua laterum objectu montis se valle recondit  
 Rhenus, & ambabus lascivit pampinus oris,  
 Ernfelt inspicio, & muris de nomine turrim  
 Mausturnum; effugium mediis erexerat undis  
 Namque Palatinus, mediis & rursus in undis  
 Expellunt dominum mures, ut fabula fertur  
 Indigenas inter: ridens prætervehor Aschpers,  
 Et Drechs, & Lorich, & Deibach postea, & Ambrach,

Dura quidem versu, sed talia nomina remex  
 Pagorum expressit. Bachrach tum vidimus, urbem  
 Sacratam Baccho; huic inter vineta dicarant  
 Aram Germani, medioque in flumine turrim  
 Pfaltz, Cubum, & Wesel, (priscis Vesalia quondam  
 Mœnia, Mammeæ Augustæ celebrata sepulchro,)  
 Rornich, & Sancti bina oppida utrinque Goari,  
 Gurgite quo ratibus sat certa pericula subsunt.  
 Welmenach, Werlen, Dalheim, Kæsterna, Boroven,  
 Saltzich, atque Astmen noctu, Campisque tabernas  
 Transvecti, ac Wiltzen, Boppartum appellimus, olim  
 Bandobrigam; dulcis fudit quæ pocula Bacchi.  
 Digredimur, nebulas Phœbo adducente, & Orestein,  
 Et Braubach, & Pedernach dum nubila celant,  
 Atque Reens, Laensteinque, aurum cui navita pendit;  
 Præfulis insignem quarta Trevirensis ad urbem  
 Venimus, ingenti edomitus qua ponte Mosella,  
 Cui nomen factum, Rheni quia confluit undis.  
 Est è conspectu montis fortissima dorso  
 Rupis inaccessæ, gemino Hermensteina fluenti  
 Et populis tutela suis; arx ima sub ictu  
 Regia tutatur tecta, ac diverberat hostem:  
 Hæc tamen infensi metuens à milite Adolphi,  
 Sponte sua Gallos excepit; at inde recepta  
 Cesareis Aquilis paret nunc. Humida nimbo  
 Quamquam nox aperit, post primam exsolvimus, alta  
 Pondera ubi erecto demittit trochlea ligno,  
 Attollitque, agili & convertit machina gyro;  
 Alluit hinc Engers flumen, si quando tumescit,  
 Atque Andernacum, positis à Cæsare castris

Olins

Olim Antunnacum veterum monimenta vocarunt.  
 Hinc Suecos nuper dejectos mœnibus altis,  
 Servatamque urbem, referunt, alvearia in hostem  
 Fœminea jaciente manu, Martemque fugante  
 Armatis apibus; tantum sperare salutis  
 VRBANAS per Apes valuit Germania victrix:  
 Hic acidas vino miscent ad fercula lymphas,  
 Delicium gratum, atque hepatis medicabile munus.  
 Tum Ludstorff, Brisich, Amsten, Lintz præterit amnis,  
 De more accedens solvit queis navita censum;  
 Obvia fit Creaman, Terrisbrind, atque Patercal,  
 Et plures fluido nascentes insulæ in alveo:  
 Pagi, rura, urbes, & acuta cuspide fana  
 Turrita, undoso lateri, ceu scena theatro,  
 Stant super, ac variis eludunt pegmata visis.  
 Excipit à pluviis Vbiorum Bonna madentes,  
 Ara diu celebris; Cattis in prælia namque  
 Agrippa duce devictis, tutoque recessu  
 Rhenum traducta, Augusto gens condidit aram.  
 Officiosa pii me invitat Principis aula;  
 Atque ipse adveniens, postquam venatibus agro  
 Indultum satis, ingenti dignatur honore,  
 Ac navem munit magna stipante caterva  
 Militis. ad decimam spectare Colonia muros  
 Agrippina tuos licuit, longique laboris  
 Atque viæ tandem chartæque imponere finem.

## XLI.

AD LUDOVICVM CARD.  
LVDOVISIVM, AC VENVSII  
PRINCIPEM, FRATRES.

In gratiam F. Cœlestini Bruni Augustiniani, cum  
eis ille dedicaret librum de usuris; cuius fronti  
gentilitia eorundem insignia præposuerat.

**F**rontem, ô, perpetuis exsere honoribus  
Regalique, liber, stemmate nobilem,  
Qua discriminat aurum  
Orbem purpureum triplex;  
Qua sedes placide sidereas fera  
Stat Getula petens, qua niveis rubent  
Æternumque perennant  
Circum lilia collibus.  
Heroum soboles, quam tulit Italus  
Tranquillo resluens Rhenus in alveo,  
Virtus teque gemella  
Insignem titulis notat.  
Sacrato advigilans hic Capitolio,  
Sancti dicta senis providus exsequi,  
Longam ætate virenti  
Mentis canitiem tegit.  
Culta illum thalamis jungit Apulia,  
Illibata ferens lilia, sedulo

Noz

Non direpta leoni,  
 Dum furta excubitor timet.  
 Hujus si facilis te sinus excipit  
 Ornatus volites undique floribus,  
 Cunctis gratior oris  
 Ibis splendidius nitens,  
 Nec furum timeas sacrilegas manus,  
 Latratuſve canum, & dentibus invidos;  
 Torvo nam fera visu  
 Omni te expediet metu.  
 Illa at mens Procerum vivida Curia  
 Augebit pretium muneris, aureo  
 Si commissa libello  
 Index ingenii probet.  
 Prodi, docte liber, praesidium & decus  
 Nactus par meritis; instrue, collybo  
 Vti, nomine ficto,  
 Vera, qua liceat, fide,  
 Auctori interea dum sapientiae  
 Terris donat opes, redde nitoribus  
 Frontem ornate superbis,  
 Grandi faenore gloriam.



*Vt rosæ spinis, medians, salubrem  
Gignit odorem!  
Hunc dolor Regem facit: in Corona  
Ipse tormentum dedit; inque sceptro  
Ipse contemptum addidit, inque demum  
Dedecus ostro.*

## X L I I I.

DE EIVSDEM PASSIONE.

## H O R T V S G E T H S E M A N I.

**E** *Heu; dolorem quæ lachrymæ queant,  
Aut lingua dixum carmine flebili  
Explere funus? Primuli ipse  
Impia fata luit parentis  
Natus, superni progenies Dei:  
Hortusque, pictis floribus insitus,  
Primæ voluptatis palæstra,  
Excipit innocui dolores  
Primos Iesus. Hic trepidam sibi  
Invitat inter blanditias necem  
Servator orbis, tum timentem  
Obvius ad faciles agelli  
Accersit auras. Hic fera pectore  
Dum versat imo funera, mergitur  
Mortis sub umbra, & sanguis undans  
Irriguo rigat ora cursu.*

F 5

Spirassée

*Spirasset illic quidni animam Deus ?  
 Sed molle duxit florea per loca  
 Privatus, aut solus mori, qui  
 Per fora, per populos, & urbem  
 Totusque spinis obsitus horridis,  
 Vnoque circum vulnere purpurans  
 Regnum dolorum tam probrosæ  
 Supplicium crucis ambiebat.  
 Sed jam propinquant & scelera & faces,  
 Et sevus, hostes qui incitat ad nefas,  
 Hortator : heu, tædet referre,  
 Et fugit hæc cecinisse carmen.*

## X L I V.

## O R A T I O,

*Qua petit auxilium à Deo.*

**A** *Vdio divinum resonans in pectore carmen :  
 Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.  
 Fac mihi te comitem, præfer tua lumina Iesu ;  
 Cernere sive sequi te sine te nequeo.*

XLV. P. CA.

## XLV.

P. CAROLO AB AREMBERG  
CAPVCINO.

Post longos acresque dolores, lecto affixus, cum  
respiraret aliquantulum, optimum Religiosum,  
ad se consolandum, invitat.

**C**Arole, terreni contemtor provide fastus,  
Principibus proavis major, qui claustra superbis  
Ædibus, atque auro, præfers; solare dolentem  
Alloquio, precor, & mœstum, virtute serena,  
Qua superos flectis. Iam jam cessere severa  
Verbera tortorum, stomachi seu crudior æstus,  
Seu colon, seu nephritis me forte flagellant,  
Lis incerta diu, docto sub iudice, pendet,  
Interea misero mihi certum constat; acute  
Viscera torquentur; metam cruciatibus hora  
Quarta tulit nuper; dant nulla negocia curas,  
Aula vocat, fesso superest in corpore languor,  
Debilis & lectum seruo; sed vivida mens est,  
Et non invito voces inflectere versu  
Me patitur tecum. neque enim terrena fatigant  
Vsq̄ adeo cælestem animum, quin sponte resurgat,  
Seque libens damnet, tenui quod pondere morbi  
Succumbens ferme, gemitus angoribus inter-  
Misceret dudum. Cælum cur voce laceffis?  
Nonne manus Domini tetigit te? parce querelis;

Quis

Quin potius grates reddas, vitæque peractæ  
 Crimina perfundas lachrymis; atque ipsa dolorum  
 Crescat dura seges, tibi dum patientia crescat.  
 Quæ manus è nihilo nuper te dia creavit,  
 Omnipotens manus, attactu dignata benigno est  
 Mortales artus, ut amico vulnera sanet.  
 Eia age, rumpe moras, crebris te angoribus offer;  
 Sic placitum superis, hæc parva piacula culpas  
 Diluere ingentes, devotaque manibus antra  
 Sontibus, ipsasque ultrices prævertere flammæ.  
 Hæc meus è nitidis repetit Salesius astris,  
 Quæ quondam ex cathedra mellita voce tonabat;  
 Hæc eadem, grato mihi te dictante magistro,  
 Percipiam; tu me stimulis melioribus ultro  
 Impelles; tua me magis hæc exempla movebunt:  
 Te præeunte, sequar. seu te divina moratur  
 Pagina, seu doctis miranda volumina seclis  
 Conscripsisse juvat; calamum depone parumper,  
 Et cura levioere animum laxare memento.

## X L V I.

D E I O A N N E L A T O M O,  
 qui Epigrammata inscripsit tumulis ad  
 Iovii Elogia.

S Piritus omnis abest, nec habent Epigrammata succum;  
 Hoc tamen ista virum carmine busta nitent.  
 Prudens est Latomus; tumulis non carmina ponit;  
 Sed parat ipse suis carminibus tumulos.

X L V I I. D E

## XLVII.

## DE EODEM.

**Q**uod niteas, non ipse stylo, non candidus ore,  
 Nec tua tantillum carmina pondus, habent.  
 Quod tumulas Vates, hoc vere est condere in umbris;  
 Ut levis, haud cineres, carmina terra premat.

## XLVIII.

## DE EODEM.

**V**ille facit carmen Latomus; dat manibus illud  
 Munus, quod vivis vendere non potuit.

## XLIX.

## DE EODEM.

**D**um Vates tumulat Latomus, non illa poetam;  
 Sed pollinctorem, carmina foeda sonant.

## L.

## AD ANDREAM ALCIATVM.

**D**um Tacitum damnas, laudas Iovium; æquus utri-  
 Donas illa, quibus pauper uterque caret. (que

LI. DE

## L I.

DE SACELLO GUIDONIS  
NOLFII FANENSIS.

In gratiam D. Iosephi Constantii, Canon, Reg.  
S. Salvatoris.

*C*ivem clara tuum suscipe Iulia  
*Vrbs, ô quæ Adriaci littora Nerei*  
*Servas, atque Metaurum,*  
*Pæno sanguine nobilem,*  
*Ne frustra veteres concine glorias,*  
*Neu votiva deæ fana volubilis ;*  
*Major vel manet uno*  
*Laus te cive beator.*  
*Sunt, qui perpetuo tempora nomine*  
*Evicisse putant, lata decempedis*  
*Queis metata renident*  
*Multi marmoris atria,*  
*Non hunc luxus habet, non domus aurea;*  
*Non aulæ niteat Purpura posteris,*  
*Non innixa columnis*  
*Ingens porticus Africis.*  
*Stat, delubra Deo molibus arduis*  
*Regalique manu ornare, Quiritibus*  
*Qua sublime sacellum*  
*Inscriptum superis manet.*  
*Amphion patriæ mœnia cantibus*  
*Struxisse Ogygiæ fertur, ut addito*

Sensu

*Sensu ad jussa veniret  
 Cautes, accola montium.  
 Non hîc vana fides. hi citharas vocant,  
 Et plectrum lapides, æmula cœlitum ut  
 Reddant cantica vates,  
 Et gratum resonet melos.  
 Hi flammæ gelidis mentibus ingerunt,  
 Vt sacris superent cœrula amoribus,  
 Ceu collisa favillas  
 Ictu dat chalybis filex;  
 Hi percussi oculis, vi tacita sinus  
 Irrumpunt aditus, igniculos creant,  
 Exstinctisque redonant  
 Sensus pectoribus pios.  
 Nec mirum; pietas namque operi manus  
 Admovit teneras; saxaque sedibus  
 Hinc Eoa relictis  
 Gestant artificis notam:  
 Hinc spirat pietas vivida marmori,  
 Aurumque, & tabulæ, & signa decentia:  
 Hac se providus urbi  
 Cerni donat imagine  
 Felix ad superos dum properat senex:  
 Multo nobilius cui tamen intimo  
 Templum corde reponit  
 Candens Relligio, & fides.*

## L I I.

P. BENEDICTO LEODIENSI  
CAPUCINO.

Miserat is Auctori piam imaginem, Kalend. Augusti, & carmen in ejus laudem ac gentilitium in-  
signe. reponit Auctor imaginem tesseræ, quam  
sibi eo anno CIO IOC XLIII conformaverat;  
qua, à secularibus abstrahi se quotidie magis  
velle, profitetur.

*S*temmata majorum, clypei que insigne paterni;  
*V*os quernæ frondes, montes, & sidera, abite.  
*N*on ego gentiles ceras, non somnia, & umbras,  
*U*ltra sectabor. Cordis penetralia Iesus,  
*S*at mihi, si teneat, qualem designat imago,  
*D*e cruce pendentem. O utinam, mea vera voluptas;  
*P*erpetuo tecum vivam! sic vincere sensum,  
*E*t vitium, tua palma dabit: sic pinguis oliva  
*L*ætitiâ pacemque feret: sic grata corona,  
*P*ro te posse pati: tua sic vexilla sequentem  
*E*xcipies cælo tandem, dulcissime Iesu.  
*C*ætera quid quæram, quando fers omnia tecum;  
*E*t sine te nihil? Ergo, Deus meus, omnia solus  
*S*is mihi; seu vitam placeat producere, mortem  
*S*eu properare magis; fiat tua sola voluntas.  
*H*æc, venerande Pater, meditantem forte Kalendis  
*A*ugusti, atque novi implorantem Cælitis una  
Præsidium,

*Præsidium, tua me deprendunt munera, carmen,  
Atque icon, picta egregie. Modo reddere grates  
Optarem, æquales meritis: sed nulla potestas  
Par mihi, ni puro maneat contentus amore,  
Dum parva mecum desigis imagine vultum.*

## LIII.

## LEONIS VICTOR LEPVS.

Roma ab Arnulpho, Germaniæ Rege, per occasio-  
nē leporis capta; quæ urbs Leonina dicebatur.

**G**ermanus Latias nequicquam dum obsidet arces;  
Dat quibus erector nomen habere Leo;  
Territus armorum sonitu se parvus ad urbem  
Fert lepus, & timido corripit arva pede.  
Insequitur miles fugientem, & ludicra bella  
Dum movet in leporem, seria Roma timet.  
Heu, qui fortunæ lusus! quæ vicerat orbem  
Armis, à ficto vincitur ipsa metu.  
Mœnia destituunt cives; urbs inclyta capta est;  
Prædaque tam pavida dicitur esse fera.  
Ergone vidtricem gentem venabitur hospes,  
Vincet & hostili non quatiente manu?  
Scilicet, ut veri metuas mandata Tonantis,  
Argumentum ingens, Martia Roma, vides:  
Succumbis lepori leo, te hostis concutit error,  
Atque aliena procul te fugat usque fuga.

G

LIV. DE

## L I V.

## D E E O D E M,

## Lusus.

**P** Arve lepus, Latiane famem compefcere gentis  
 Credis, an obsessis auxiliare tuis?  
 Cæsarei lusus renouas an forte leonis,  
 Et iuvat immitis ludere in ora feræ?  
 An maiora nouo præstas miranda theatro  
 Romuleam tuto sollicitasse lupam?  
 Fallor; in ætheria requiem tibi deligis arce,  
 Mœnia dum fugiens, ambitiose, petis.  
 Iamque nūvum sidus pronò spectabere mundo,  
 Æternumque tibi fama superstes erit.  
 Diceris Danai fallacior arte Sinonis,  
 Vtrinque ignotos composuisse dolos.  
 Diceris Samson urbis quæfisse ruinas  
 Pro tumulto; & tumulto nobile carmen erit:  
 Quem fugiens perdit lepus, hac jacet abditus Vrbe;  
 Non fugere hoc melius, non jacuisse datur.

LV. DE

## L V.

D E G R E G O R I O X I  
S V M M O P O N T I F I C E ,

E Gallia in Urbem, Divæ Catharinæ Senensis precibus, revocato.

**I**nfecta Oenotriis Gallia gentibus  
Quondam Romuleo sanguine polluit  
Labentem tumidis fluctibus Alliam, &  
Urbem diruit ignibus :

Auro mox inhians dum Capitolium  
Urget, quam validos exulis impetus  
Sensit, funeribus que totidem suis  
Vertit funera civium !

Heu sed victa diu Gallia præliis,  
Victrix pace, nova fulsit adorea,  
Et sancto viduans Hesperiam Patre  
Præda nobilis aurea,

Iam nunc præcipitem fluctibus alveum  
Laxaret Rhodano ; ni redeat suo  
Antiquus Latio splendor ab unica  
Senarum prece Virginis.

Non tu carminibus, Tibri, potentius  
Solves eloquium. Vincit, & innuba  
Orante, obstupuit Gallicus Hercules,  
Prisci fabula temporis,

G 2

Hanc

Hanc & Threicio præferat Orpheo,  
 Dircaëque seni, seditionibus  
 Quod pressis vigeat Roma beatior  
     Orbemque imperio regens  
 Regnantes placida lege coërceat,  
 Perversisque minax fulmina dividat.  
 Non hæc fœmineo pectore provenit  
     Vis, sed cordis amabilis  
 Hospes Virgineo stat Deus in sinu.  
 I, priscaë repetas mœnia Pontifex  
 Urbis; rumpe moras, rebus & Italis  
     Præsis consilio parens.  
 Quidni perdociles commodet illico  
 Aures imperio? cui procul horrida  
 Parent regna Stygis, qua revocant gradibus  
     Mandante, & superas tenent  
 Auras Tartareis ignibus abditi;  
 Cui defuncta calent corpora ad osculum,  
 Cui calum pluvio rore aperit viam,  
     Dum mors obsequiis favet.

## LVI.

## DE CAMILLO QUERNO

Archipoëta.

CVM satur est Quernus, ventosa poëmata ructat.  
 Non est id capiti, sed stomacho, ingenium.

LVII. CO.

## LVII.

COMITI WALTERO ZAPATÆ,  
REGIS CATHOLICI PLENIPOTEN-  
TIARIO AD TRACTATVS PACIS GENERALIS.

Cum ab eo elegancia carmina accepisset Auctor,  
quibus foteria præveniebat; quamquam, gravi-  
ter decumbens, ne caput quidem elevaret, à me-  
dicis impetrata facultate, sequētibus respondit,

**H**Æc egrotantis languentia carmina ab ore  
Dictata excipies, qua suetus, fronte serena  
Walter, docte Comes, magnis par rebus agendis.  
Quos Graia Latiæque tibi spirante Camœna  
Misiisti versus, præstantis pignus amoris,  
Excepi, multumque hilaris persæpe relegi.  
Par erat, æquales nitido pro munere, saltem  
Aut non indignas, grates mea musa referret.  
Verum, post seditum corpus, febrisque dolores  
Immodicos, capitis cruciatus, flamina ventris,  
Inde frequens alvi curatio, seditio venæ,  
Et victus modicus, simplex & potus aquarum,  
Atque quaterdenis jam jam jacuisse diebus,  
Vsq̄ue adeo tennes privarunt viribus artus,  
Vt vix ingenio speculari, vix meminisse,  
Vixque loqui valeam quidquam: quin cura medentum  
Hactenus alloquia & vultus proscripsit amicos;  
Quæ tandem indulsit, brevibusque rependere tantis  
Officiis isthæc, permisit: queis tibi dignas  
Vt referam, æternas asservo in pectore grates.

G 3

LVIII. AD

## L V I I I.

AD DOMINICVM MOLINVM,  
SENATOREM VENETVM.

Venetiarum urbem ac Rempubl. præ cæteris laudat, ejusque Senatores, & inter hos præcipue D. Molinum,

*V*ates, compositis parcite laudibus,  
 Nec se prisca ferat gloria posteris  
 Majorem : facili secula vicimus  
     Cursu, nec tumidi tamen  
 Iactamus celebri carmine, seduli  
 Non verbis decus extendere longius,  
 Sed gestis : abeant Pergama, cœlitum  
     Tot quondam egregius labor.  
 Cedat Cecropii regia nominis,  
 Et vultu veteri Roma superbiens.  
 Cunctas una super tolleris, Adriæ  
     Urbs ô condita siderum  
 Aspectu placido ; quæ impenetrabili  
 Muro tuta manes, fulmina negligis,  
 Bellorumque acies ; quæ omnibus artium  
     Terris dogmata dividis,  
 Mutandique vices nescia, firminus  
 Tractas imperium ; quæ fugientibus  
 Præsis vi stabili fluctibus, & mare  
     Cogis jussa capessere.

Felix

*Felix ne pete producere terminos  
Ultra; sed, propriis læta nitoribus,  
Tecum vive diu. motibus in suis  
    Cœlum sic requiem parit.*

*Ultra nec petit is, qui movet orbium  
Motrices animas, quam sibi vivere.  
Sic te crede tibi, cui satis undique  
    Terrarum patet ac maris.*

*Si majora juvant; i, celer occupa  
Cœlum, & patritiam pone coloniam,  
Qua semper niteant astra recentia  
    Crues nobilis Adriæ.*

*Hos inter proceres præcipue locum  
Molinus teneat, consiliantibus  
Mens quodcunque petat provida Patribus,  
    Et recti columen status.*

*Hoc uno maneat Principe Curia,  
Nec Musæ fugiant, nec sapientia,  
Privatusque gerat munera Cæsar, hic  
    Urbi si advigilet Cato.*

## L I X.

IOAN. BAPTISTÆ PANNILINO,  
 VTRIVSQUE SIGNATURÆ SANCTIS-  
 simi Referendario, Melitæ Inquisitori, ac Aposto-  
 lico Delegato.

Respondet amico optimo de valetudine sua ; ro-  
 gatque , ut P. Sebastianum Salelles, Soc. Iesu  
 Theologum , permoveat ad evulganda opera,  
 quæ moliebatur jam ante ad sanctæ Inquisitio-  
 nis munus instruendum.

*A* *V*strali semote plaga, languentis ad Arcton  
*Q*uæ te Rhenani tangit pia cura sodalis,  
*E*ximum patriæ decus ô & candide Præsul?  
*I*mproba nephritis vexat ; tranquilla sed est mens ;  
*N*ec desunt animi, culparum hoc dulce piamen,  
*Q*uando manus Domini tangit me, ferre dolores.  
*T*e juvat interea mediis meditarier undis  
*I*nviçtæ Melitæ, fidei pia sceptrâ regentem,  
*C*andida pectoribus qua fulgent signa salutis  
*M*ilitiæ illustris. caros hîc inter amicos  
*I*lle meus vivit solidæ virtutis amator,  
*E*t bonus, & sancto doctissimus ore, Salelles,  
*O*rdinis egregii columen memorabile Iesu.  
*S*æpe tibi assideat consultor providus æqui ;  
*E*xcipias illum gratis amplexibus ultro,  
*E*t frueri alloquiis : faustam tibi gratulor istam,

*Haud*

*Haud equidem invideo, sortem. sed, quæso, potenter  
Illum adigas stimulis, festinet, grande volumen,  
Et cedro dignum, venturis tradere seclis.*

*Religionis opes, magni & monumenta beati  
Ingenii excipient, æternum grata, nepotes;  
Hæresios poterunt queis putrida membra saliri,  
Interitu revocata pii medicamine Patris.*

*Quodque diu vivens, propriis abstractus Iberis,  
(Gloria sit superis,) Melitensi præstitit oræ,  
Pagina Christicolas inter diffusa per omnes  
Perpetuum peragat felici sidere munus.*

*Auspiciis cœptum nostris in luminis auras  
Perfectum committat opus, cui verba supernæ  
Numinis arrident, mortali voce locuti:  
Vos estis Sal terræ; sal hic nomine, sal re.*

## L X.

## FLOS, LYDIÆ DONO MISSVS.

*Ex eo Catulli: Quem mulcent auræ, firmat sol, edu-  
cat imber.*

**F**Los, qui per lachrymas, nostra & suspiria, crevit,  
Ad Solem properat, Lydia pulchra, suum.

G §

LXI. DE

## L X I .

DE ROBOREO, I. CIVILIS  
LAVREA DONATO.

In gratiam Volumnii Bandinellii, alludit gentilitio  
Roboreo Insigni; ac juveni bene auspiciatur.

**D**aphnis canentem ferta comantia,  
Vernasque frondes; admonuit sacer  
Phœbus; nec insanos amores,  
Sed veteris refer, inquit, altum  
Quercus honorem. Gloria præpotens  
Arbos tonantis, tu decus Italæ  
Telluris, adnascentis oras  
Aspicias, occiduique solis.  
Scepbris onusta, annisque gravis, caput  
Attollis ad cælum leve, & auream  
Terræ coronam despicis, dum  
Civica perpetuo triumphas.  
Intorta ferri vis tibi nil nocet:  
Sed cæde crescis, sub patulo fovens  
Phœbi triumphales coronas  
Tegmine, Palladiasque frondes.  
Ingens canorum currit ad Orphea  
Iam quercuum sylvæ; at vice reddita  
Vates vocantur huc remotis  
Sedibus, & venerantur umbram.  
Ex hoc vetusto Robore pullulat  
Sublime germen: jam celeris diem

Præcur-

Præcurrit ævi, atque arduum per  
 Aëra amat superare nubes.  
 Ergo sonoris te fidibus sequar.  
 Iam jamque cælos desuper auferor  
 Divinus augur, jam futuris  
 Fata licet cecinisse seclis.  
 Ætas beatis ferrea desinet  
 Annis, & orbi mox fluet aurea;  
 Novasque glandes, aureas &  
 Cernere erit rediisse gentes.  
 Astræa terris exul, ab æthere  
 Delapsa fulgens, sidus amabile  
 Reliquit autumnale, & ore  
 Ver nitido placidum reportat.  
 Regnat potentis dextera Virginis,  
 Cujus sacerdos legibus aureis  
 Fraudes catenat, qui nocente  
 Fulmineo fugat ense pestes.  
 Longe hinc iniqui diffugiunt doli,  
 Non ira fervens, non furor, aut amor  
 Hians habendi, ardor nec auri  
 Exitium referent in urbes.  
 Sed vivet intactum decus, & fides,  
 Et jura sanctis condita moribus,  
 Ex quo Iovis famosa quercus  
 (Chaoniæ ut canitur loquuta)  
 Responsa terris Iustitiæ dabit  
 Terrestre numen. Desine garriens;  
 At, Musa, dein carmen superbo &  
 Plectra juvet posuisse trunco.

LXII. CHRI-

## L X I I.

C H R I S T I N A T A L I S  
M E D I T A T I O.

Quam Auctor ipso Pervigilio Nativitatis, Eclogæ  
in modum, pure simpliciterque meditans, ita  
expressit.

**D**Vm Puer æthereus Superum demissus ab arce,  
Virginis ex utero gelidas properaret ad auras,  
Bethleæ rupis vicino pastor ab antro  
Incipit, & gracili modulatur carmen avena.  
Exsere sancte Puer, mundi tutela ruentis,  
Exsere purpurei rutilantia lumina vultus,  
Et procul, ab, tenebras antiquæ disjice culpæ:  
Exspectate diu populis, mea sera voluptas,  
Die puer, Deus ipse, Dei immutabile Verbum,  
Æternum genite, æterni æqua Parentis imago,  
Æternum spirans divini Flaminis ignem,  
Nunc genite ô terris, mortales indue cultus  
Virginea de matre, fruens & paupere tecto,  
Majestatem operi, cœlique solique potentem.  
Felices tenebras, felicia crimina sontum,  
Queis hæc divini obveniunt miracula amoris.  
Dixerat, & letum rursus pæana movebat  
Sidereas inter choreas, qua gloria cœlo  
Qua terræ Pax, Pax, geminatis vocibus echo  
Attulerat, subito querulis cum vocibus auras,

Vagitus-

Vagitusque inter Pueri, pia carmina miscens  
Ingemit, & natum blande solatur amorem.

Siccine, sancte Puer, crudelia frigora lædunt?  
Siccine cum gemitu, communes luminis oras  
Ingredere? faciuntne tibi mea crimina fletum?  
Parce precor, divine Puer, Patris unica proles,  
Et Matris prædulce decus: cruciatibus ætas  
Non isthæc addicta tuis. Præsepia culmis  
Hispidæ, tam sancto capiti, membrisque tenellis  
Quam male conveniunt! distant Bethlemica tecta  
Horto Gethsemani. non aula, aut compita diræ  
Hic adsunt Solymæ, aut feralis culmina montis.  
Parcite nascenti vepres, & sæva Decembres  
Tu glacialis hyems procul hinc averte rigores,  
Quin potius te, die Puer, compone beato  
Virginis in gremio, & calidis amplexibus ultro  
Vtere. delicias quod si Genitricis amatæ  
Forte fugis, rigidaque juvat requiescere terra;  
Terrea ne spernas miseri præcordia amanti,  
Inque meo, licet haud merear, te pectore conde.  
Olli præripiunt tremulam suspiria vocem.  
Tum manibus junctis, madidisque obtutibus hæret  
Totus in Infante, & flexo de poplite adorat.

## L X I I I .

AD ALEXANDRUM, FEDERICI  
PETRVCII FILIVM.

Consolatur super morte Lauræ, ejus Sponsæ;  
cælibatum suadens, ac Romanæ Urbis habita-  
tionem.

**N**on tu querelis, neu miserabili,  
Amice, fletu Daphnidis urgeas  
Vix vix tuæ abreptos amores,  
Et propera fugientis hora.  
Quamquam infecutus Laurea fleverit  
Arbusta Phæbus plus nimio dolens,  
Deique gauderet virescens  
Per lacrymas maduisse tellus.  
Non illa vis te pectoris improbi  
Effrena cogit; sed melior viges  
Musarum alumnus, temperatam  
Sortis in alterutras procellas  
Servare mentem. Flebilis omnibus  
Illa occidisset, quos premit undique  
Terrena labes, quos voluptas,  
Atque dolor modo mergit undis.  
Tu perfer ictus corde potentior,  
Neve atra curis te implicet inquies,  
Quæ humana perturbat; secundis  
Sis vicibus, dubiisque, rectus.

Sic

*Sic, dum jacentes nubibus arduis  
 Valles opacat tristior ætheris  
 Ira, haud timet nimbos, eodem &  
 Semper ovans nitet ore Olympus.  
 Cælo serenus quin animum feras  
 Qua se nitenti commodius plaga  
 Resedit astra, inter triumphans  
 Non tenui sacra fronde laurus.  
 Illic nitentes dum thalamos tibi  
 Servat, jugali non aliam petas  
 Vincere nexu; sed fidelis  
 Aonidum genio, beatas  
 Effunde gazas pectoris aurei,  
 Qua Tiberis ideo labitur alveo.  
 Hic me sodalem fors revisas,  
 Hic placide peragatur ævum.*

## L X I V .

De quodam, qui dicitur tumultus à discipulis vi-  
 vus, cum crederetur mortuus.

**M**ente procul stantem sua vecors turba magistrum  
 Viventem sepelit, quem periisse putat.  
 Errantum pœnas doctor luit; & rude vulgus  
 Tam male, sic moriens, edocuisse dolet.

LXV. TRI-

## L X V.

## T R I T V R A.

Historice, & ad modum Hetruriæ, messis trituram  
describit; eaque utitur ad mores instruendos.

**A** Dvenit assiduis devota laboribus æstas,  
Quodque unum agricolæ tempus adesse petunt:  
Sol premit ætherii ferventia terga Leonis,  
Et reparat fronti spiceaserta Ceres.  
Sena, vale, multumque mihi dilecta juvenus,  
Cui comes hyberna Palladis arte fui.  
Me juvat umbrosa subter considere quercu,  
Quo facilis veniat per mea membra sopor.  
Hic longum dormire lubet, dum læta cicadis  
Undique festivo murmure cuncta sonant.  
Hic frugem evigilans cupio spectare cadentem;  
Quam sibi prosternit rusticus ante pedes.  
Undique fervet opus campo: pars illa maniplos  
Colligit, & nodo jam leviore ligat:  
Pars onerare trabas aggesto gaudet acervo,  
Conjunctoque domum pondera ferre bove.  
Area non procul hinc tereti est æquata cylindro,  
In qua excernatur sordibus acta Ceres.  
Hic ubi laxati consurgunt orbe manipuli,  
Densaque compactum reddit arista nemus;  
Infilat in medium velox agitator equarum  
Agricola, & ternas lora revincta tenent.

Has

Has agit in gyrum succussu laeva, terentes  
 Triticeam messem; has verberare dextra domat.  
 Invertit culmos socius, non rite resectos,  
 Confusamque novo congerit orbe struem.  
 Hac iterum stat cogere equas, & frangere, donec  
 Trita minutatim sit pede tota seges.  
 Tum pars expurgat paleis, pars ventilat auris  
 Frumenta, & cribrum pars Cereale quatit.  
 Dividit hic messem, impletur sextarius illi,  
 Et capiunt fructus horrea quæque suos.  
 Heu fors; quam brevibus demum deponitur horis,  
 Annua quod vigili cura labore premit!  
 Discite, mortales, rectam componere mentem, &  
 Continuam studiis invigilare diem.  
 Seu fora vos unquam, Regum sive aula vocabit,  
 Seu versuta procul curia forte petat:  
 Quidquid solliciti denis vix cogitis annis,  
 Ingenii robur colliget una dies;  
 Proferet in lucem verbis tribus ore solutis,  
 Ponderis hoc quantum mens operosa ferat.  
 Viribus interea necquicquam fidite vestris;  
 Postcitate sed superi numina amica Dei.  
 Motibus ætheriis pendent hæc omnia, sed vox  
 Vna Dei motus imperat, una regit.  
 Sæpe sui oblitus quum respicit arva colonus  
 Pingua, nec curat vota referre Deo;  
 Tum grando segetem crepitans ferit horrida, quamvis  
 Proxima erat, curva ut falce resecta foret;  
 Enecat aut geminis veniens ardoribus æstus,  
 Aut siccus Boreæ corripit inde furor

H

Non

*Non sic te ingenii faciat primæva tumentem  
Luxuries : tacito deperit illa die.*

*Immo tuæ recolens cœlo data semina menti,  
Primitias Domini, sis memor, esse sui.*

## L X V I.

I N G R A T I A M E P I S C O P I  
C E R V I E N S I S.

*Ejus sepulcro incidendum.*

**M***ortalis regimen vitæ, meditatio mortis.  
Hanc utinam teneas pectore, voce, manu.  
Erudiere satis, muta, hospes, talia nostri  
Si lapis & cineres dant documenta tibi.*



L X V I I . D E

## LXVII.

DE GENVENSIVM REPUBLICA,  
 POST FUGATOS HOSTES,  
 IOANNE IACOBO LOMELLINO  
 CREATO PRINCIPE.

In gratiam Io. Mariæ Geherardi.

**I** Am jam sparge nitentibus,  
 Regina ô Ligurum, compita floribus;  
 Cœlo attolle beator  
 Vultus, & nebulas disjice præpotens.  
 Turbarat validis polum  
 Nuper fulminibus Gallus, & Allobrox;  
 Nimbis vernaque faustitas  
 Bellorum fugiens cesserat horridis.  
 Sed te jam melior dies,  
 Et grato roseus vidit Iberiæ  
 Sol Eous ab Hespero.  
 Sensere ingenita robur adorea  
 Priscum vivere gentibus,  
 Hostes, Romulidum viribus arduis  
 Ægre olim domitum, gravem  
 Mirati, intrepido pectore Curiam  
 Fugere indociles manus  
 Telorum, atque rudes agmine milites.

H 2

Et

*Et quos velleris aurei*  
*Phryxæus decor, ac verna beatitas*  
*In se allegerat improbos,*  
*Ferro sat profugos cernit ab æthere*  
*Chiron ante hyemem ferox*  
*Certa dejiciens spicula dexterâ.*  
*Perge ô, quaque potens manu,*  
*Vrbs, qua & consilio provida, fluctibus*  
*Atque agro procul impetum*  
*Arcere, & gladios pellere barbaros.*  
*Præcinge interea comas,*  
*Et jam cana tui tempora Principis,*  
*Matris Cyprigenæ rosis ;*  
*Hæc innectat amor ferta decentius,*  
*Quo patrum ac populi favor*  
*Concors tergemini regnet honoribus.*  
*Felix omine Dux bono*  
*Majora assequere ; hinc divitis Indiæ*  
*Aurum te manet ; hinc sacris*  
*Vitrix casta tibi laurea frondibus*  
*Exornat superos virens :*  
*Nam te non oleam, aut gramina frontium,*  
*Nec quercum deceat satis,*  
*Aut myrtum Veneris cernere munera.*

## LXVIII.

## FELIS.

Puellæ felem dono mittit ; cujus mores, in venando, edendo, cubandoque, nec non pulcritudinem elegantiasque, describit.

**F**estivum tibi dono, blandulumque,  
 Inclusum calatho, puella, felem ;  
 Quem tu deliciis tuis leporem  
 Addas. parvulus est tenellulusque,  
 Sed astu senior, dolisque Ulysses  
 Alter ; seu tabulata seu lacunar  
 Cantus, & pede perlevis, silensque,  
 Perlustrat, speculatur, aut ruinas  
 Observat vafer ; inde si misellus  
 Se mus proripiat, repente in ipsum  
 Ardens exilit, efferoque morfu  
 Carpens, denticulis ferit gementem,  
 Nequicquam, & crucians recalcitrantem  
 Lenta morte trahit. fuga modo illum  
 Evasisse putas ; sed ungue acuto  
 Rursus illaqueat, jacitque in altum,  
 Cadentemque rapit, modisque mille  
 Ludit, dum moriatur. Illico tunc  
 Dat prædam sociis volens libensque.  
 Non enim dape vescitur ferina,  
 Nisi elixa prius, vel assa, mensæ

H 3

Paratæ

Paratæ institerit, prematque lancem.  
 Tum assistit lateri comes, meamque  
 Frusto furcinulam gravem tepenti  
 Furatur pedis unguis decori,  
 Estque; mox vacuam reponit. Illum  
 Credo patritio satum parente,  
 (Siquidem inter eos manent popelli  
 Gradus, patritiæque jura gentis.)  
 Tanti est ingenii, vigent in ipso  
 Mores usque adeo. Nec indecora  
 Est illi facies: nitent ocelli;  
 Auribus brevis est, nigerque totus,  
 Præter lacteolos pedes & ora.  
 Cultu est candidus, elegans: nec unquam  
 Dormit ad cinerem; sed acquiescit  
 Libens sub gremio, vel in cubili.  
 Festivum hunc tibi dono blandulumque;  
 Cui si blanditiis tuis favebis,  
 Donabo catulum venustiore,

## L X I X.

CANTICVM MOYSIS,  
 CANTEMVS DOMINO, GLORIOSE  
 ENIM MAGNIFICATVS EST.

Paraphrasi poëtica reddidit, in gratiam Francisci  
 Mariæ Merlini, Episcopi Cervienfis.

**N**unc est canendum, nunc pia cœlitum  
 Dicenda Regi carmina; gloriæ  
 Innixus altæ, qui profundo  
 Stravit equos equitesque ponto.

Tu grande robur, tu decus arduum,  
 Salutis auctor tu mihi, tu Deus;  
 Te laude tollam, te paternum  
 Muneribus cumulabo Numen.

Visus potenti nomine copias  
 Pugnator unus pellere barbaras,  
 Mergensque Erythræis vehicla,  
 Et proceres Pharaonis, undis.

Illos aquarum vis procul obruit  
 Immensa; pondus ceu grave marmoris,  
 In ima deVecti, repente  
 Equoreo cecidere fundo.

Divina factis dextera fortibus  
 Elata, turmas diffidit hostium

H 4

Et

Et glorioso pervicaces  
 Impete perdomuit rebelles.  
 Armavit iram, qua nece sustulit  
 Illos voraci; non secus ignibus  
 Absumit arentes caninus  
 Flammifero stipulas hiatu.  
 Dio furoris percita spiritu,  
 Sese coegit per medium mare,  
 Fluxumque dediscens, rapaces  
 Continuit levis unda fluctus.  
 Tum dixit hostis; persequar, insequar,  
 Nectam fugaci vincula gressui,  
 Nudabo ferrum, cæde cædam,  
 Et spoliis locuples redibo.  
 Sed tu beato flamine in aëra  
 Diffasti, & hostes vortice plurimo  
 Neptunus obtexit, ruentes  
 Ceu solido simulacra plumbo.  
 Inter potentes militiae duces,  
 Quis conferendus, quis similis Deo,  
 Quem sanctitas, quem terror una  
 Magnificum celebremque miris  
 Aternat actis? Ille manum in truces  
 Extendit hostes vix, & ab intimo  
 Diffissa, captivos resorbet  
 Terra sinu, tumuloque condit.  
 Nos ille pressos tot miserans malis  
 Redemit; idem se dedit agminum  
 Ductorem; & acri dextera, ædem  
 Incolumes tulit ad beatam.

Surre-

*Surrexit atris ic̄ta furoribus*  
*Commota Idume, & proximus accola*  
*Horrore tactus, Principesque*  
*Sollicitus pavor egit Edom.*  
*Quin fortiores obtinuit Moab*  
*Formido; & omnes, qui Canaam colunt,*  
*Expalluerunt; ac, superba*  
*Ora, metu obriguere gentes.*  
*Formido in illos, ô, ruat amplius*  
*Terrorque, & omnes vis tua deprimat;*  
*Immoti bellantum rigescant*  
*Agmina, ceu lapidum jacentes*  
*Per prata acervi, donec ab hostium*  
*Transcurrat arctis gens tua sinibus,*  
*Pertranseant donec tuorum*  
*Mille acies, Deus, & caterva.*  
*Ad sancta ducas culmina montium,*  
*Te auctore dudum condita, firmior*  
*Hic nostra sedes nos, manentque*  
*Templa novo hic fabricata saxo.*  
*Vivit Creator, vincit io Deus,*  
*Aeterna regnet secula, qui favet*  
*Rite apprecanti, Ingressus undas*  
*Ecce eques & Pharaon & quadrigæ,*  
*Dum sicca tranant æquora, tum Deus,*  
*Undas reducens, de super obruit;*  
*Sicco recedens Israël*  
*At populus pede scindit æquor.*

## L X X.

## I N M A G N V M.

Bononienti peste grassante , Bononienses aves  
à Magno Ferrariæ non admiffæ.

**E**Xulat à cauta Magni miliaria mensa ,  
Dum metuit, pestem ne vaga penna ferat.  
Ponatur quæso tutæ cornicula cœnæ ;  
Quæ fugit immunis, nec gerit una luem.

## L X X I.

## I N E V N D E M.

**B**Is denas miliarias, amice ,  
Pingues, & sapidas meo palato ,  
Quod donas, ago gratias : quod arvis  
Captas Felsineis referre pestem  
Credens, abnueris sed ante cautus,  
Iuvat te timidum fuisse : pesti  
Agam, non tibi, gratias, amice.

## L X X I I.

## I N E V N D E M.

**D**Vm nimium refugis pestem, miliaria, turdus,  
Sic medico placitum, non tibi, Magne, datur.  
Magne, tibi gignet metus hic contagia : pestem,  
Tam gratis epulis qui caret, ille facit.

P O M-

P O M P E I V S,  
T R A G O E D I A.

Quam Auctor, anno CIO IOC XXI,  
cum forte rusticaretur, lusit, Sene-  
cæ in morem, tum quoad œcono-  
miam, tum quoad metrum, solius  
oblectationis gratia; nec unquam  
publice dari passus est.

A R G V-

## A R G V M E N T V M.

**C**Neus Pompeius, Cnei filius, cognomen-  
to & re Magnus, ter Consul, ter Trium-  
phator, ubique victor ; deficiente foris ho-  
ste, quem vinceret, civem domi invenit, à  
quo vinceretur. A Cæsare in Emathia pro-  
fligatus, in Ægypto appulit ; male confidens  
alienis, jam destitutus à suis. Itaque, clam  
fugiens hostes, palam ab hospite interficitur,  
vera mentiti foederis fraude à Ptolemæo ex-  
ceptus.

## P E R S O N Æ.

VMBRA IVLIÆ, quæ prior erat Pompeii  
uxor.

CNEVS. POMPEIVS MAGNVS.

THEOPHANES, à consiliis Pompeii.

ACHILLAS, Dux exercitus Ptolemæi.

CORNELIA, Pompeii uxor.

CHORVS PELVSIORVM.

CHORVS ROMANARVM MVLIERVM.

NVNCIVS.

*Scena est ad littus Pelusii.*

ACTVS

## ACTVS PRIMVS.

## VMBRA IVLIAE.

Pompeio, conjugii quondam suo, appellenti in Ægypto, atque ad Ptolemæum divertenti, male ominatur, ac suadet fugam.



*En, fuge, Pompei, male fidi littoris oras,  
 Heu, fuge Niliaci barbarâ tectâ ducis.  
 Nefariis non degit hic terris fides,  
 Non tuta profugis regio: secedant procul;  
 Et levia in altum vela committant rates.  
 Cruenta, victus, bella nequicquam fugis,  
 Si male secundis unda te Zephyris vehit,  
 Qua horrenda paces inter ancipites parat,  
 Quaque execrandum stragis impendet malum.  
 Incantus hospes quale perfugium petis?  
 Fuge manum amicæ frontis hostilem procul.  
 Iacuisse pueri fraude diceris senex;  
 Nec patria meritos grata persolvat rogos.  
 Iulia, vetustas pectore asservans faces,  
 Enixa quondam pavida mentitæ necis  
 Fœtus acerbos uxor, & propero nimis  
 Exstincta casu, huc Ditis è regno volans,  
 Linquo beatas sedis Elysia domos,  
 Nuncia malorum; sortis extremæ vices  
 Admoneo, & ima repeto fatorum loca,  
 Nemusque & umbras umbra per amœnum sequor.*

*Heu,*

*Heu, fuge, Pompei, male fidi littoris oras ;  
Heu, fuge Niliaci barbaræ tecta ducis.*

## P O M P E I V S .

*Spe plenus, animos suos erigit, instaurandumque  
bellum pollicetur, potentissimorum sociorum  
armis adjunctis.*

*Q* *Vacunque cæli fulgida luces plaga,  
Gradive, bellorum parens, tuque ô deùm  
Sator, tonante sceptrâ qui nutu regis ;  
Et quæ Latinum Patribus invidit decus  
Infensa quondam Iuno ; quæque nitens Venus  
Rosea albicantem luce respersit diem ;  
Tuque ô Quirine, quæque inexstinctum foves  
Ignem, atque dii penates, Ilii  
Numen vetustum : adeste, & infaustos, precor,  
Auferte cursus ; melior accedat piis  
Fortuna bellis. omnia fluunt motibus  
Addicta vestris ; quisquis invito velit  
Pugnare cælo, quamquam & æquo dexteram  
Obarmet ense, fasque vindictæ & deos,  
Citior sagitta cadet hic emissa manu  
Scythæ fugacis, fulmine aut magni Iovis.  
Cessare juvet, adversa quoties imminet,  
Morasque trahere, siderum niteat nova*

*Quo=*

Quousque facies, placida quæ sortem ferat.  
 Effugimus, quodcumque portendens mala  
 Sidus nocenti lumine cucurrit polum.  
 Nunc & cruenta strage minitari necem, &  
 Patrio rebelles persequi ferro licet.  
 Status has vices mortalium alternas habet,  
 Atra ut sequatur nox diem, noctem dies  
 Clarus recipiat; varia sic rerum parens  
 Natura ludit, læta lachrymis implicans,  
 Fabula inopino semper ut cadat exitu.  
 Eia agite, cives; Romuli clarum genus,  
 Prudens & astus, mente generosa latens,  
 Non timor in acie, debilem suasit fugam.  
 Prolusit ensis Emathiæ in arvis meus,  
 Sensitque fata adversa, fugitque impetus  
 Lethi manentis. Hic adornandum est recens  
 Agmen, ubi fatis melior aspirat meis  
 Fortuna, & hospes excipit Phario puer  
 Spectandus ostro: tutus hic socios mihi  
 Vocabo ad arma: veniet &, tumidum bibit  
 Quicumque Nilum, lata portantem mari  
 Per ora septem divites undarum opes;  
 Et qui nitenti sole ferventem plagam  
 Sitiens arenis mobilem Libyam colit:  
 Hinc Maurus insignis veniet, illinc vagi  
 Acresque Numidæ, quæque ad Austrum extenditur  
 Amica tellus, quæque in occiduis jacet  
 Porrecta campis. Nec minus habet militum  
 Romana classis; mille in Argivum meæ  
 Volvuntur æquor nobiles utero rates,

Armis

Armis onusto, milleque vagantur duces :  
 Sparsit magis quam perdidit nostras opes  
 Patriæ rebellis, ista nec jactet tumens  
 Vicisse bella. Sumite antiquum decus,  
 Atque arma cives, patria vel distet procul,  
 Non illa secum robur atque animos tenet :  
 Cadaver est, turrita quicquid mœnia  
 Cingunt, nec urbes marmor insanum facit,  
 Sed si qua virtus civium mentes colit  
 Facilis negatas siderum tentans vias.  
 Vos corde Romam geritis illustrem Patres,  
 Quæ Roma domuit, quicquid exoriens videt  
 Cadensque Titan, quæ subegit limite  
 Ab utroque mundum, tota nunc vestro viget  
 Spiratque vultu, hanc reddite suo Tibridi,  
 Suoque cælo ; subeat & mentem, precor,  
 Ansonia, libertas, parentes, conjuges,  
 Natiq; parvuli, gravis quibus imminet  
 In servitutem casus, ut recordiam  
 Damnent parentum, quod tyranno subdita  
 Patria servile tulerit cervix jugum.  
 Heu, quale miseris instat, & quantum nefas !  
 Mittentur umbris victimæ, qui vix frui  
 Auris didicerint, citius ereptam sibi  
 Vitam querentes, quam per ætatem viri  
 Specimen avitæ ferre virtutis queant.  
 Vos dicet hostes turba natorum innocens,  
 (Si noscere hostem poterit, aut saltem loqui, )  
 Vulneraque credet vestra. Qui haud prohibet scelus,  
 Mandat parrari. Heu, quantus in bellis adest  
Cæsar,

Caesar! cruenta sternat ut ciues manu?  
 Ut ille priscus abeat à patria vigor?  
 Nostro ut cruore purpuram regno paret?  
 Non ita: Philippi nec perit in arvis decor,  
 Quem bella toties clara monstrarunt satis;  
 Quosque mihi comites fecit adversus labor;  
 Non sic triumphis propior amittet dies;  
 Non totus ego Pharsalia cecidi; manet  
 Pompeius; & secunda stellantis poli  
 Metitur oculis spatia; quem sibi vindicem  
 Hucusque dicit Roma, mox dicet Patrem.  
 Iungamus arma; vincat & numero phalanx  
 Et robore hostes, cui socia stringat Pharos,  
 Rexque Iuba foedus; sique bellantum agmina  
 Majora cupitis, veniat, Eoum excipit  
 Quicumque solem, quique fugientis natat  
 Tigridis in undis, quique in Euphratis levi  
 Illudit alveo: mea sequatur frigidus  
 Vexilla Pontus, Colchis, & profugi Scythæ,  
 Parthique, Alanique & nitescens Persidis  
 Acinace manus, & propinquo decolor  
 Phæbo Indus; omnis militet tellus mihi,  
 Non illa iussus segnis excipiet meos.  
 Vbi que norunt: ille rex pacem fovet  
 Auctore Pompeio; ille victus destitit;  
 Belloque cessit; quisquis & contra stetit,  
 Mox cecidit hostis. Ite & omnes undique  
 Accite populos, quosque domitor subdidi,  
 Et queis peperci. Lætus imperia excipit  
 Vterque. Nomen victor extendi piuum,

I

Quo

Quo nolui arma ; quosque non ferrum sibi  
 Devinxit, illis aureas nomen sinu  
 Fecit catenas. Orbis aut nostro fuit  
 Subactus ense, aut cessit officiis libens.  
 Vel ipse tumido qui imperat Nilo puer,  
 Erratque campis agmina sororis fugans,  
 Mihi, quicquid habet, id gratus acceptum refert.  
 Regno parentem reddidi profugum suo,  
 Hinc ille moriens mihi tueri divitem  
 Mandavit aulam ; hæcque ipsa placandis vocat  
 Præesse sceptris. Ibo, & adversas procul  
 Arcebo turmas. prorsus haud cecidit suis,  
 Quisquis alienas erigere dextra venit  
 Potens ruinas ; resque componet suas,  
 Firmare tennes ille qui externas potest.  
 Interea eatur, qua posuit hospes dapes,  
 Ditesque mensas. Fata fortunet Deus.

C H O R V S P E L V S I O R V M.

A luna, maris fluxu, fatisque, alternas fortunæ vi-  
 ces describit ; atque, ab habitu athletarum in  
 deterius vergente, Romanæ potentiæ casum  
 argumentatur.

**E** Rgo stat varia sub vice mobile,  
 Quicquid noctivago lumine Cynthia  
 Præcingens tremulis motibus aspicit.  
 Heu, nostris nimium proxima finibus  
 Quem vitæ instabilis prodiga, rebus his

Cursus

Cursus ambiguos Cynthia dividit.  
 Non sola undisoni murmuris æquora  
 Alternis repetunt littora fluctibus,  
 Et factò resluunt agmine, nescia  
 Servandi requiem. Protinus omnia  
 Fato humana ruunt irreparabili.  
 Nec cessare licet: prospera non morant,  
 Non adversa trahunt. Deprimit Hesperus  
 Et durus tenebras trudit ad inferas,  
 Quos vix ad superos Phosphorus efferens  
 Casuros tenui luce refuderat.  
 Tempus fulmineo labitur impete,  
 Cælorumque vagis cursibus imperans  
 Pervertit celeri turbine subditos  
 Terrarum populos, regnaque præliis  
 Miscens, sollicitis corda potentium  
 Curarum stimulis tangit. Hic ambitu,  
 Hi luxu pereunt; ille superbior,  
 Hic belli cupidus, desipientia  
 Totum id nostra sibi fingit, & abditas  
 Causas quærit iners. omnia temporis  
 Cælique arbitrium perdit, & elevat.  
 Certos imposuit Dædala limites  
 Natura, & superum providus arbiter,  
 Quos ultra nequeunt res sine labili  
 Pertransire fide. Nec mala sæpius  
 Arumneque nocent, quam bona mollibus  
 Corruptunt opibus fataque prospera.  
 Sic crescit validis robur in artibus,  
 Et majora vigent corpora viribus;

*At, cum summa tenent, nec datur addere  
 Ultra, in deterius squallida corruunt.  
 Sic procera petit sidera vertice  
 Quercus, nec modico germine pullulans,  
 Ad terram subito pronaque concidit.  
 Sic urbs Dardanii Martia Romuli  
 Postquam finitimos vicit, & undique  
 Antiquam Hesperiam, atque arva Proserpinæ,  
 Pœnosque & gelidam subidit Illyrin,  
 Et postquam Assyriam pugnam, & Achaicam,  
 Piratamque vagum, & Pontica prœlia,  
 Et Parthos celeres, Betis & accolas,  
 Et magnas tumido nomine Gallias  
 Disjecit, populis omnibus imperans,  
 Quod summum tenuit, quod nimium fuit  
 Felix, ut superos culmine tangeret,  
 Tandem Roma suis viribus occidit.*



ACTVS

## ACTVS SECVNDVS.

POMPEIVS.

Mala præfagit animo : nec fidit.

**Q**uam facile dives quisque consilium alteri  
 Donat, & egenus ipse non reperit sibi!  
 Quam sæpe varians animus audendo tegit  
 Vultu timorem. Verba percepit meus  
 Mentita miles, speque non ficta cibo  
 Vescitur, & hilaris mensa comescit famem.  
 Me dirus ille, qui occupat mentem, dolor,  
 Munus soporis & dapes prohibens, vetat  
 Solamen istis aliquod ærumnis dari.  
 Quo tendis, anime, quodve perfugium paras?  
 Extrema cum te fata circumstent, quid hæc  
 Commenta fingens quæris externam fidem?  
 Aut unde, tot pressus malis, socium paras?  
 Proles vetusti bella Ptolemæi gerit:  
 Nec sua relinquet quisque, quæ dubius tenet,  
 In sorte dubia ferat ut alienis opem.  
 Tuteris alterum, alter erit hostis tibi:  
 Vterque concors tela dimittat, tamen  
 Confide nulli; mobilis in annis furor,  
 Ætasque mollis, facta mutant illico;  
 Amata relinquunt, quodque damnarunt, probant:  
 Tenax virili regnat in dextra fides.  
 Iubam requires? Pœnus hunc sanguis notat,

13

Acricque

*Acrique tacitos mente subnectit dolos.*  
*Parthos adibis? pugnat hic campis fugax,*  
*Nec superat unquam montis elati juga,*  
*Fraudique fudit, & venenis illitum*  
*Committit auris debilis ferrum manus.*  
*Quid Indus, aut Arfacidæ? in adversis perit*  
*Ea, quæ secundis oritur in rebus, fides;*  
*Et sorte vitam prospera quicquid trahit,*  
*Occidet, amicas illa si mutat vices.*  
*Qualis bipenni plurima sylvis labans*  
*Annosa quercus, motat antiquum caput,*  
*Nutatque, certumque legit ancipiti locum*  
*Tremens ruiæ, talis in varias feror*  
*Vtrinque partes, certus & casum sciens,*  
*Incertus, ubi casurus, animi pendeo.*

THEOPHANES. POMPEIUS.

Theophanes Pompeium recte sperare jubet; dum  
 hic interea portetis variis, & vilis nocturnis, ter-  
 retur, suspectamque habet fidem hospitis pueri.

THEO. **R**omane, veteris clara progenies Numæ,  
 Quid insuëti corda sollicitat mali?  
 Quid mæsta tecum loqueris, auræque anxio  
 Murmure fatigas? pande curarum sinus,  
 Malisque me me quæso consortem voca;  
 Gaudere lætis, cui datum est, toties tuis.  
 Effare, reddunt verba & ærumnas leves,  
 Solers nec adeo quisque consilio viget,

Quin

Quin melius aliquid fando consultet sibi.  
 POMP. Leviora damna voce relevari queunt.  
 Graviore premimur sorte, quam minuat sonus:  
 Nec mentis illud ratio rimari velit,  
 Quod quisque novit, nimis & experto patet.  
 Vidi nefanda civium Emathios nece  
 Crevisse campos, grande Romulidum decus,  
 Et Roma verax ense fatali occidit,  
 Degener ut hostis victor Ausoniam premat.  
 Invisa sibi bella esse monstrarunt dii,  
 Nec una tandem signa miserunt necis.  
 Micans cucurrit fulgur hostiles super  
 Hinc inde classes, iter & obliquum secans  
 In nostra tandem se impulit moriens loca,  
 Nebulaque posuit obsitum multa caput.  
 Cervice recta vulnus expectans sacrum  
 Victima sub ictu pinguis ante aram stetit;  
 Sed ut securim dextra libravit, celer  
 Latensque volucris templa deseruit fuga.  
 Quid ille turmas nocte lymphatas agens  
 Cæci tumultus dubius exoriens pavor?  
 Cum quisque inanes metuit auras, nescius  
 Quidnam timeret, omnibus, nulli timens?  
 Conserere bello nolui oblato manum,  
 Sed militi cedens, prior didici à meis  
 Vinci, ut docerem ab hoste superatum quoque.  
 Admota ut acies, mansit in conspectu iners,  
 Ambigua, & amens horruit subito gelu,  
 Pallensque vultus terga respexit metu,  
 Sensuque dextras tela fugerunt pio.

Ast ubi canoræ bella sonuerunt tubæ,  
 Fervidus in hostes hosti. hinc atque hinc ruit,  
 Et glomerat acres vulneri intentans manus,  
 Concurritur utrinque: gravior Pharsalicis  
 Fit pugna in arvis, ulla quam cernat dies.  
 Cætera silere lugubris cogit dolor;  
 Seu fata, seu Cæsar, vel infernæ Stygis  
 Turbæ nocentes, vel magis fuerint Dii;  
 Vincimur, & æqua montibus tellus jacet  
 Constrata tot funeribus, & rigui fluunt  
 Amnes cruore civium. Sic ô duces  
 Sic astra petitis? perditæ ac victi carent  
 Sepulchro, & agros pondus externos premit,  
 Habetque tellus ipsa tot tumulos sibi  
 Tantis gravata & hinc & illinc civibus,  
 Nec astra cernens assuētis vescitur  
 Auris, nec illud noxium cœlum patet,  
 Pluvium quod illi noster effecit cruor.  
 Constiti ego, & amens horrui tantum nefas,  
 Vertique vultum stragis aspectu horridæ,  
 Scelusque scelere majus extremum dedi  
 Turpi recedens ipse dux belli fuga.  
 Hæc ille moriens fulgor, hæc subitus pavor,  
 Ferrumque id hostia fugiens tandem, volunt.  
 THEO. Resiste paullum fortis, & priscos voca  
 In corda sensus; redeat hinc illud precor  
 Quod regie frontis fuit amicum decus;  
 Quamvis in aciem iniqua fors fuerit prior,  
 Secunda nobis vota permisit tamen,  
 Et jam serena luce prospexit Deus.

POMP. Vivam.

POMP. *Viramque damno, sceleris ex æquo ream,  
Cum fudit acies, cumque defendit fugam.*

*Fors illa vincit, ista fugientes videt:*

*Plus hæc favendo nocuit; ut peior nece  
Vita æstimatur, turpe quam maculat scelus.*

*Vicisse vetuit; juvit, ut fugerem: exsecror,  
Quicquid favoris fata præstiterint mihi.*

*Ac si juvandum est ita, velim noceant magis,  
Ne vilis adeo pateat in probris fuga.*

THEO. *Decora, fortis, valida, Romano duce  
Sat digna potius illa, perniciem fuga*

*Quæcunque vitat, acrior ut armis queat*

*Stetisse campo; ad istud incolumis modo*

*Servaris, ut propinqua Ptolemæi tibi*

*Auxilia jungas. Nec tueri te abnuet,*

*Cui totus ore spirat antiquus parens,*

*Senileque viget, juvenis in vultu, decus;*

*Vt, quas parens debuerat, has reddat memor*

*Puer ille grates. Simile simili gignitur,*

*Manetque posteros, quæ avitis insita*

*Vis enituerat. quisque majorum decus*

*Auxisse gaudet. Clara sic virtus parit*

*Sese, & labantes vivida æternat vices.*

POMP. *Privata virtus se minoribus inserit*

*Persæpe, avoque exoritur & similis nepos.*

*Non ista regibus favet fors: nascitur*

*Aut fit parenti absimilis; immutat statum,*

*Pervertit aulam, ubique leges innovat*

*Rex; regna dives teneat, id tantum cupit;*

*Huc æqua, iniqua, vertit; omnisque immemor*

Officii, in una injuria totus memor ;  
 Nec curat ingrati notam, sed civibus  
 Libens relinquit, gratiæ ut reddant vices,  
 Ipse altiora mente concipiens bona.

THEO. Exigua merita facile tegit oblivio,  
 Nec subdito rex gratiam civi refert,  
 Ne se minorem statuatur; at regi refert.

Tam insigne facinus ergo ab animis excidet?  
 Nec te juvabit ille, qui vitam tibi,

Qui regiam acceptam refert? non aureis  
 Tutabit opibus, quas ope recepit tua?

POMP. Falleris; in animo servat, & sumtu levi  
 Rex merita pensat levia; sed damnat magis  
 Letho rependens, magna quæ tenui nequit

Pensare præmio. Nec ulli unquam velit  
 Ita debuisse, ut metuat & regno & sibi,

Si gratus illi reddat; aut, sin det minus,  
 Ut sic precaria manus regnet. THEO. Patrem

Non ergo patriæ agnoscet, & clarum ducem,  
 Quem sibi parentem donat extincti loco

Sacer senatus? quem senis tabulæ petunt  
 Auletis? POMP. Haud hic regna Pompeius potest

Vnquam tueri, qui exul & victus fugit.  
 Non hunc vocavit senior auxilio virum,

Sed eum triumpho nobilem quondam Africo,  
 Et ense magnum, & mente majorem, Tagum

Qui prope fluentem victor extremo manum  
 Cum sole sparsit, qui rebelles perdidit,

Idemque pacis pariter ac belli arbiter.  
 Rex Pharius obiit; esto nunc vivat, tamen

Pom-

Pompeius obiit : fata commutant viros.

THEO. Remitte, precor, exæstuanes impetus

Mentisque desperantis insanos procul

Averte fluctus, nec ea sollicitum prece

Orasse pudeat sceptrâ, quæ quondam pio

Servasse regi iuravit, & merito tua

Vocare possis. POMP. Egone ut incautus senex

Pueroque fidam? THEO. Non adhuc fraudes puer

Didicit; tenello corde simplicitas viget,

Purusque candor. POMP. Non adhuc didicit fidem:

Sat enique celeres sponte nascuntur doli,

Magisque regi; sique non adsint, mea

Etiam in fideli fors adinveniet dolum.

Sed quis modo tam subitus aures perculit

Sonus? unde militum hæc repente cohors? THEO. Adest

Armis onustus miles, illustrem tenet

Cristaque & auro galeam, hic in clypeo vetus

Insigne portat, ille thoracem sequens

Nexumque segmentis sagum nitidis gerit.

#### ACHILLAS & POMPEIUS.

Achillas Pompeio & munera offert nomine sui regis, & fidem pollicetur atque amicitiam; arcana cum eo collaturus.

ACH. **Q**uam dulce regni columen, & felix bonum!  
Hucusque nitor viribus, & animum sagax  
Exacuo, & artes, ut potestas denique  
Sit imperandi. non procul aberit à meis

Corona

Corona factis : ope deorum provehor,  
 Semperque vetere majus exoritur recens  
 Decus ; ut in alta sede consistat gradus.  
 Docuisse regem munus antiquum fuit,  
 Quo nostra virtus intimos iniiit sinus  
 Nitentis aulae , cœpit & facilem sibi  
 Captare populi gratiam , mox in novos  
 Mutare fasces , cuncta consilio meo  
 Sub pace regere , nec minus belli potens  
 Militibus impero. Omen hoc faustum fuit ,  
 Regi imperasse , dum ejus ingenium colo,  
 Luxusque suaves in sero levis ocii ,  
 Meque altioribus parem titulis gero.  
 Sed ecce , Magnus hospes incessu obvius.  
 Præferte dudum munera. O regum genus  
 A stirpe ducens , patriæ meritum jubar ,  
 Quem tot remoti longius gentes soli  
 Sensere , in acri Marte quid posses manu ,  
 Cujus triumphis una vix tandem dies  
 Optatur , hoste Roma qua domito caput  
 Attollat astris. Quando Nilivacuum decor  
 Is forte regem manet , ut & partem ferat  
 Felix honorum , teque bellantem libens  
 Sequatur armis ; fœdus excipiens , rogat ,  
 Vices regendi , & bella componas prius ,  
 Ne vacua solers regna diripiat soror.  
 Interea & istud pignus ingenue cape  
 Fidei , verendus arma quæ gessit parens  
 Phariis decora regibus , bello duces  
 Quicumque Magno advenerit. tenui dedit

Quæ-

*Quædam papyro inscripta, quædam etiam meis  
Arcana credidit auribus : peragam celer  
Mandata : ab omni est liber arbitrio locus.*

POMP. *Veram parentis nosco progeniem sui ;  
Commisssa tutus auribus reddes meis  
Qua dives æde regia nitenti latet,  
Grati rependam muneris pretium, Di  
Si quando lætas forte restituant vices.*

## CHORVS PELVSIORVM.

Liberalitatem, muneraque prædicat, à rege obla-  
ta Pompeio ; & ob confœderationem bene au-  
guratur.

**D***isce hinc assiduis quemque favoribus  
Ditare ingenuo pectore providus ;  
Velox adveniet dies,  
Gressu quo redeat cito  
Collucens gemino gratia munere.  
Ductori Ausonidum fœnore cum pio  
Gratas Isiacus puer  
Doni restituet vices.  
Concordi Charites manu  
Vatum carmina concinunt,  
Nexas, ut redeat triplex  
In sese chorus orbita.  
Has ridens peperit Venus  
Partu non gravis unico,  
Alvum thyrsigeri gerens*

*Pinguens*

*Pinguem semine Osridis.*  
*His non prægelidas hyems*  
*Astringit glacie nives ;*  
*Non æstus geminat fera ;*  
*Frondosæ Nemees leo ;*  
*Non imber pluvio cadit*  
*Cælo sidere defluus ;*  
*Sed ver purpureum nitet ;*  
*Atque auris Zephyrus tepens*  
*Circum mollibus evolat.*  
*Vultu mixta rubentibus*  
*Vernant lilia cum rosis :*  
*Vestes barbaricæ procul*  
*Splendent ; non color aureus ;*  
*Non gemmæ, capitis jubar ;*  
*Nodo sed coma tortili*  
*Artem negligit artibus.*  
*Nudæ membra nitentia*  
*Hæ prolem Veneris decent*  
*Vestes, ut choreas vago*  
*Saltu circinet aptior.*  
*Sic dantem repetit celer*  
*Multo gratia munere.*  
*Fronti perpetuus decor,*  
*Membris grata protervitas,*  
*Consertis manibus fides,*  
*Regnat mutua gratiis.*  
*Hac est ad superos tendere pervium,*  
*Hac & cœlitibus te facies parem,*  
*Queis est præcipui gloria nominis*

*Mundo*

Mundo munificam spargere copiam.  
 Sic, mortalis adhuc, sis homini Deus.  
 Spectabit populos funera post tua  
 Aras ponere supplices,  
 Pingues cedere victimas.  
 Sic quodcumque iuvat Dei  
 Terris nomen habet : sacer  
 Ut templis colitur canis,  
 Ut terris medicum genus  
 Campis herba virentibus,  
 Regnum Niligenæ pius  
 Regi restituit suum  
 Dux, & gentis amabile  
 Pacis restituit decus.  
 Certans officiis puer  
 Arcto fœdere milites  
 Mox addat comes hospiti :  
 Regnet Roma superbior,  
 Et tranquilla ferat secula posteris.



ACTVS

## A C T V S T E R T I V S .

T H E O P H A N E S .

Ostendit, spem vultu tantum simulare Pompeium;  
at altum premere interim corde dolorem. Ipse  
tamen Regis Ptolemæi, in auxilio afferendo, fi-  
dem scrutari cupit.

**I**Ctum miseria quod semel cecidit gravi,  
Ut semper omni pectus oppressum malo  
Iacet! ut secundis pavitat in rebus quoque,  
Nec unquam ad ipsa letus exsurgit bona,  
Quicumque fatis fuit in adversis miser!  
Nimbosa ceu cum sæviit ventis hyems,  
Horrensque multa nive sibi resolvit comas,  
Ver pristina tamen signa glaciei tenet,  
Rigetque, quamquam ætheria sol Tauri premat  
Terga, & serenus luce transcurrat dies.  
Fortuna felix redeat, afflictos tamen  
Gaudere piget, & rebus haud unquam datur  
Sperare letis. Lata cui desint, cum  
Angit cupiditas, invidia, luctus, dolor:  
Cui sint, pavores mille sollicitum tenent,  
Ne fors rapaci repetat instabilis manu.  
Usque adeo felix nullus in terris viget,  
Et fausta sint, infestave, ex æquo mala.  
At quid peracti temporis fatum queror  
Commune cunctis? decuit hæc semper ducem

Sôrs

Sors ægra Magnum, fronte dum ficta, palam  
Verax, lateret mentis attonitæ pavor.  
Conqueritur, hæret, metuit, horrescit, furi,  
Silet repente, & ora purpureus notat  
Rubor; inde pallor omnis in vultu redit;  
Omnis recurvat, nullus insistit color.  
Hen, quo malorum pondus hoc dirum irruet!  
Formidat hostes; hospitem metuit magis,  
Dolos ubique prævidet, reputat fidem  
Speciem esse fraudis, seque vix credit sibi;  
Adeo pererrat; quodque in extremis solet  
Adesse fati, omne consilium perit.  
Sed ipse, rebus qui unus auxilium potest  
Afferre lassis, hospes Isiacus brevi  
Aderit, suas & forsan adjungens opes.  
Sic sæpe præsens casus oppressos monet  
Meliora, quam ratio ferat. Videtis salus  
Est una, nullam noscere salutem; loco  
Cum quid supremo pendet, hoc unum scias;  
Si nil potes sperare, desperes nihil.  
Socias revisens interim classes, novi  
Quodcumque maneat aure pervigili bibam;  
Quid Cæsar audeat, quid hospitio favens  
Puer, an propinquet agmen, an segnis dolos  
Ancepsque tegat, eventus ingenium reget.

K

ACTVS

## A C T V S T E R T I V S .

C O R N E L I A .

Mariti fortunæ timens, angitur : deorum olim amphibologicis responsis , & nunc spectro novo Iuliæ defunctæ, territa , ad deorum opem confugit.

*A* Ge tam sævo turbine pressa  
 Mens, heu, tantis victa procellis,  
 Repete ô luctus lachrymosa graves.  
 Non ægra modum pone querelis.  
 Nam quæ pateris, vicere modum.  
 Comites lapsam me regite; dolor  
 Æstuat imo pectore, dirus  
 Incendia tot dum rapida ciet.  
 Heu, quid questus improbe dolor, &  
 Ferus ærumnas cumulans idem  
 Lugere jubes, lugere negas?  
 Privata quisque damna complorat sua,  
 De flere cuncta regis uxorem decet.  
 Tu sancta cælum quæ incolis Pietas fave  
 Aliquando miseris, quosque vexatos vides  
 Satis, futuris æqua ne turbes malis.  
 Feralis omen somnii avertant Dii,  
 Et vana in auras visa vertantur leves.  
 Alterutra teneas fata Pompei, sequor,  
 Vicumque sequor, inanis aut feriat pavor

Aut

*Aut verus, una adesse me uxorem iuvat.  
 Lesboa nimis exilia non fauste pius  
 Dediſti acerba; nulla cum menti quies;  
 Cum nulla membris eſſet; absentis metus  
 Mœrore gemino pectus oppreſſit meum;  
 Sopor inquietus bella cum aſpectu horrida  
 Spectanda retulit. Vidi in hoſtilem prius  
 Intorta cœdem tela, cum hærens vir viro  
 Inſtabat urgens, jamque vincendo fugam  
 Suadebat hoſti, terga vulneribus premens;  
 Mox & periculis adſtiti, heu, quoties tuis!  
 Te te per omnes enſe minitantem ſequi  
 Turmas iuvabat, quando jam victus fugis;  
 Et ſtrage fœda clara Dardanidum genus  
 Exincta proles jacet in Emathia ſolo,  
 Cærens ſepulchro, niſi tegat in undis cruor.  
 Laceſſi, heu, qua voce probroſa deos!  
 Mendax vocavi numen, inſpiens, levè;  
 Oracla dubio & oris illudens ſono.*

*Romulei proceres Magnum per bella ſequuntur  
 Ibitis Emathiam, ponent ubi fata quietem;  
 Altera naſcetur Teucrorum à ſanguine Roma,  
 Et novus externos circumfluet Albula campos.  
 Ergone perennis cæde miſeranda quies  
 Iſthæc manebat civibus? ſic molibus  
 Vaſtis cadaverum patria ſurgit polo  
 Altera? tepenti ſanguineus unda Tibris  
 Ergone paternum retulit? heu, fallax deum  
 Interpres, ut reſponſa perplexis latent  
 Obscura dictis ſemper, & certa Dii*

K 2

Ambage

*Ambage utrumque rebus eventum canunt.  
 Heu, me futura, sed magis dubiam, lues,  
 Magis timentem, cruciat. Infernis quid ò  
 Iulia relictis sedibus vultu truci  
 Terres? per umbras noctis arcanae tua  
 Nam visa imago major humana, Stygis  
 Abripere ad undas Magnum, & amissos diu  
 Thalamos repetere, meque sectari, furens  
 Diris: nocentes desine minari faces  
 Iulia; sat ipse Cæsar immanis premit.  
 Comites laborum, sortis extremæ vices  
 Passæ, citato templa subeamus gradu,  
 Placemus umbras conjugis; mox & deum  
 Votiva sacris thura ponantur focus.*

CHORVS ROMANARVM MVLIERVVM.

*Deplorat civile bellum, & patriæ ruinam, ex diffi-  
 dio, post mortem Iuliæ inter focerum & gene-  
 rum orto.*

*S*Equimur miseræ, turba doloris  
 Captiva sui, casusque prius  
 Lugere lubet, quos vice nulla  
 Reparare potens fortuna queat.  
 Eheu, ubinam cernimus altæ  
 Mœnia Romæ, qua Tiberis udo  
 Labitur alveo? dolor erumpe;  
 Non tenuis adest causa querelis.  
 Illa maritum vulnere plorat

*Raptum,*

Raptum, natos hinc illa gemit,  
 Altera fratrem; non quæque suam  
 Queritur stragem: quicumque ruat,  
 Poscit lachrymas undique nostras.  
 Felix bellum, cernere læta  
 Fronte ruinam, cum datur hostis;  
 Non hostis adest, licet hic bellum  
 Adsit, campo quicumque ruat  
 Poscit lachrymas undique nostras.  
 Perimit parentem natus, & natum parens;  
 Fratri cruenta frater impendit nece;  
 Quicumque pereat, civis hic noster perit.  
 Qui tanta dirus bella commovit furor?  
 Aut quæ libido cæca regnandi tenet?  
 Eheu, propero Iulia casu  
 Quantas trahis in Tartara tecum  
 Terra ruinas!  
 Paris, heu, quantas patriæ cædes!  
 Iulia claram perdidit urbem  
 Moriens: alvo Iulia tumida  
 Enixa, necem peperit terris.  
 Vteri noctem tenebris Ditis  
 Cum commutat parvulus infaus,  
 Tetro mundum turbine versat.  
 Illa parentem pace sequestra  
 Illa maritum junxit mulier,  
 Stant unius thalamo nuptæ  
 Publica veteris jura senatus.  
 Non tam fortis regna tuetur  
 Miles, non tam ditior auro

K 3

Rex,

*Rex, quam conjux foedera firmat,  
 Regis mollit sedula mentem  
 Et bellandi temperat iras.  
 Huc, nisi prohibent pocula Lethes,  
 Memor Elysias relinquens umbras  
 Respice cives Iulia miseros:  
 Vna parentem potes, una virum  
 Regere, & fessis una quietem  
 Ferre, & dominæ quicquid superest  
 Gentis, patrio reddere Tibridi.*

CHORVS PELVSIORVM.

Romanarum calamitatum se socium profitetur,  
 vexationis suæ originem repetens à fabula Pe-  
 lei, fundatoris urbis.

*C*æde fraterna truculentus olim  
 Peleus, frontem metuens parentis  
 Æaci diram, procul egit urbe  
 Gressum ab Ægina, peregrinus oras  
 Mox ad externas properavit, illum  
 Excipit campis lapidosa Trachin,  
 Trachin horrendo memoranda casu.  
 Qua maris regem rapuit procella,  
 Qua maris sese dedit in procellas  
 Vxor æternum lachrymosa, mortem  
 Ore Ceyci querulo insequuta.  
 Exul ut vidit volucrem per auras  
 Peleus regem volitare utrumque,

*Fugit*

Fugit infaustæ regionis ædem,  
 Non tamen fatum profugus reliquit.  
 Tecta magnatis veniens Acasti  
 Quanta te Peleus tulit, heu, Charybdis!  
 Hospitæ fœdos fugiens amores  
 Dum magis ponti scopulis rigens, &  
 Integer perstas precibus; refundens  
 Illa tentati sceleris furorem,  
 Credulo dixit nimium marito:  
 I, fave oppressis, miseris patentem  
 Regiam præbe, tuus incubanti  
 Adstitit noctu violentus hospes.  
 Sensit, atque iram geminans Acastus,  
 Ac dolos secum meditans latentes,  
 Ducit in cæcos nemorum recessus,  
 Peleus qua se spatiis per auras  
 Inferit cælo, miser hic sopori  
 Membra dum tradis, redit ille ad urbem  
 Tramite occulto, levis ut jaceres  
 Præda Centauris, subito biforme  
 Nube prognati genus evagatur;  
 Cum dii tantum vetuere crimen,  
 Mulciber jussu gladium paterno  
 Lemnius portat, rapis arma velox  
 Et modo cæsim glomeras, rotasve,  
 Nunc petis punctim, feriensque vulgus  
 Omne prosternis cumulo jacenti;  
 Inde te ultorem sceleris dolique  
 Thessalus sensit modo gratus hospes,  
 Sensit & ponti domitrix Iolchos.

Non tamen patris potuere mentem  
 Flectere hi casus rigide severam,  
 Bella non tantis agitata fatis.  
 Turpe non scævi exilium pericli,  
 Non tot emensi pelagi labores  
 Prima cum intactum violavit æquor  
 Navis, & remo domuit profundum.  
 Impiæ, dixit, manet expianda  
 Noxa adhuc cædis. Vagus, exul, erra,  
 Urbem & undantis prope ad ora Nili  
 Conde, purgamen sceleris, tuoque  
 Nomine dona.  
 Paruit natus, patriæque clivo  
 Auctor hic miti fuit: inquietæ  
 Noscimus culpæ mala, posteri nos  
 Pelei, pœnam luimus nocentis;  
 Semper, heu, mœstis agitamur undis,  
 Semper insanos patimur tumultus.  
 Turba Romani miseranda cives  
 Sortis infidæ comites eisdem  
 Nos habes tectis, miseros vetusta  
 Lege fatorum sequimur dolentes;  
 Ista nascenti patriæ cucurrit  
 Stella, dum crimen lachrymans piavit  
 Pauper, & exul.

ACTVS

## ACTVS QVARTVS.

ACHILLAS.

Politicus irretitum gaudet Pompeium: multis im-  
pie, & leges, & iustitiam, ipsasque adeo aras &  
deos, criminatus.

**B**Ene est; paratis Magnus implicuit plagis  
Sese, expetitam præstitit dictis fidem.

*Vicinus: amicæ frontis illectus dolis*

*Hospitia tuta credit, & rursus fera*

*Indicit hosti bella, rursus concipit*

*Iras, libido cæca sic regni vocat.*

*Iam fraude captus est, perage totum nefas*

*Solers Achilla, perage; non regem magis*

*Ad summa ducit facilis, aut brevior via,*

*Quam quæ dolosis implicat laqueis iter.*

*Omnis potenti regnet in ferro salus,*

*A fraude vires mutuet ferrum suas.*

*Si certa jaculo signa pertingas, nihil*

*Refert, an undas ictus an ventos secet.*

*Quacumque transit, omne si punctum tulit,*

*Iam vicit. unus laude vel probris notat*

*Humana finis facta: quo sistas gradum,*

*Non qua pererrans proferas, cautus tene.*

*Regnare, summum est fas, bonum, & summum decus:*

*Quodcumque regnandi geras causa, trahet*

*Illinc decentis nomen, & fas, & bonum.*

K 5

*Quid*

Quid jura? Reges illa constituent sibi.  
 Quid frans? fides vocetur. & pudor, & fides  
 Pietasve mutant regis arbitrio vices:  
 Effinxit ille numen in caelo deum  
 Inane, & aras posuit, ut durum genus  
 Ferosque populos arte mulceret pia,  
 Donec recedens mentis ingenitus furor,  
 Metu deorum facile servitio premi,  
 Libensque domini posset imperium pati.  
 Quos ara mites reddit, hos aula parat  
 Regique fidos, seque rex templis magis  
 Ponens colendum, nomen inscribit Dei.  
 Hac arte priscus sacra constituit Numa  
 Cultusque superis. Vna regnandi tenet  
 Eademque mens, non una regnandi tamen  
 Fraus, at recenti semper integitur dolo,  
 Mutatque nomen: nulla re patriae movet  
 Suadetque bellum, voce quam jaetas tenuis,  
 Romane, pietas. Roma jam dudum perit,  
 Hinc inde metuit, Rex sit è vobis uter;  
 Oderit utrumque; dira te in clades vocat  
 Etiam cupido; nosco regnandi vias,  
 Iam jamque celeri forte percurram gradu,  
 Et haec superbum regis aliquando geret  
 Diadema frons, & sceptrà fulgenti manus  
 Auro decora attinget: at ferrum prius  
 Galeamque stat gessisse, misceri decet  
 Aulam cruore: in hac parabo dexteram,  
 Experiar id cervice Romani Ducis,  
 Regumque cædi tela præludent satis.

## POMPEIVS.

In utramque partem perplexus, tamen fidere & experiri recusat.

**A**uxilia quisquis, sede jam profugus sua,  
 Externa querit, cuncta metuentem iuvat  
 Herere curis, seque in incerto malis  
 Vtrinque pressum, credere minori tamen.  
 Ubique multum fraudis, & fidei parum,  
 Nactus, miseris velut in extremis solet,  
 Requiro mentis omne consilium mee,  
 Versoque mecum dubius, ac tandem volens  
 Quodcumque damno, pejus ut cogar sequi.  
 Placet experiri gentis ancipitis fidem,  
 Et dona pueri: levius his quicquam tibi est,  
 Queis anime credas? siste precipitem gradum,  
 Descede procul, & dum licet, laqueos fuge.

## THEOPHANES. POMPEIVS.

Multa invicem disputant de suspecta regis fide.

**THEO.** S pes una Latiae gentis, & patriae decus,  
 Romane ductor, segnis hinc abeat mora.  
 Lagæus hospes omne consilio senum  
 Suadente foedus junxit, & socius tibi  
 Sponndit arma; jamque propiori gradu  
 Admōvit aciem, mille comitantur duces,

Et

Et mille currus ; ipse se medium tenet  
 Vultu verendus puer, & auro lucidum  
 Capitis coronat tegmen ; hinc illinc latus  
 Annosa circum turba seniorum fovet,  
 Te te requirit modo, te in amplexus vocat.  
 Propera, quid hæres dubius incessu gravi ?  
 Tranquilla, tuta, cernis, & tutum sinum, &  
 Nostris quietum casibus portam prope ;  
 Confide tandem. POMP. Nimia ne nos hic, vide,  
 Fiducia nocens fallat ; alto quam bene  
 Regum latentes impetus confers mari !  
 Quod facile manet, id vertitur subito fretum,  
 Et qua natabant levius, hic sorbet rates.

THEO. Adversa passus quisque, quam nimium timet !

POMP. Miser periculo credulus nimium est suo.

THEO. Iam foedus hospes firmat. POMP. An potius  
 dolos ?

THEO. Quod regia manus statuit ? POMP. An pueri  
 magis ?

THEO. Regum valida semper manus. POMP. Fallax  
 quoque.

THEO. Senatus illum magnus hortatu regit,  
 Irasque dictis mulcet, & prohibet nefas.

POMP. Nascetur horum citius è numero dolus,  
 Ni forte Rex concipiat. THEO. In tantum scelus  
 Omnes repente voce concordi patres

Coisse credis ? POMP. Scelera componi breve est.

THE. Cunctatur inde. POM. Tempus ut justum pareat  
 Sceleri patrando, an ut datam revocet fidem ?

THEO. Iam dona misit. POMP. Dona regnantum time  
 Infensa

*Infensa semper. THEO. Mox feret opem. POMP. Cæsari?*

*THEO. Cui dona misit. POMP. Timeo donantis manum.*

*Queis me tuerer, arma consulto dedit,  
Non queis ferirem. Crede, regem commodo  
Suo favere semper; in eum conferet  
Officia potius, quem relaturum putet  
Majora. quicumque miser, hoc ipso fuit,  
Quod reperit omnes undique ingratos sibi.  
Donare regis, foenerari dixeris  
In cive; falsis illa nominibus tegit.  
Consilia solers nutibus reddit suis  
Congrua; probatur si quid, hoc totum sibi  
Vindicat; iniqua coetui adscribit patrum.  
Damnare simulans, vertit in laudes suas  
Et fas nefasque; civium liber metu,  
Amore gratus ipse, nec regno timet  
Inhiare, quos tam vulgus invisos habet.  
Sic aula felix vigeat, infelix tamen  
Prematur inde civis. hanc Romæ luem  
Arcere volui, artes, & ingenium improbi  
Nosscens tyranni, fata sed prohibent viam.  
Ponam dolosis victus ut laqueis pedem.  
THEO. Serum est cavendi tempus. à tergo ferus  
Instabit hostis: medius hinc illinc times;  
Decerne tandem, teque in alterutram para  
Aliquando sortem. POMP. Eat, effugium mihi  
Si forte manet, huic nititur patriæ salus.  
Hæc me timentem reddit, hæc retinet gradum.*

CHORVS

## CHORVS PELUSIORVM.

Præ regum sollicitudinibus & periculis humilem  
vitam laudat, ac sacrificiorum Ægyptiorum  
cultum.

**A** Nceps dubio trepidat gressu,  
Curas secum mille volutans,  
Tandem gradu citato  
Abiit, furente qualis  
Mentis impete devius  
Sortis arbitrio levi  
Cedit impatiens malis.  
Quanti, heu, Regis corda tumultus  
Quantique premunt undique casus !  
Expers somni, nosse quietem  
Nescit ; vario torquet sese  
Ipse rotatu ; non mensa famem  
Bene compefcit, dum timet illic  
Latuisse dolos. Nulla est regum  
Libertas : sed splendida servi  
Colla coronant auro. miseros  
Sic illudens fors, nitida sibi  
Mancipia trahit. Quo quisque super  
Moderata pedem proferet, audax  
Erit infelix nimis hoc ipso.  
Pax inest humili loco,  
Procul hinc abeunt metus,  
Spesque sollicitæ & fraus ;

Bella

Bella non strepitu vocat  
 Tuba, nec raucis forum  
 Litibus dirum sonat ;  
 Non opes avida manu  
 Civium cumulat suæ  
 Grande vectigal domus.  
 Sed levem retinens colum.  
 Fila deducit pater,  
 Pollice in prono citat  
 Turbine intorto teres  
 Vellus, hinc glomerans legit,  
 Iugo mox telam locans  
 Leve subtegmen ciet,  
 Parvulos ut paupere  
 Induat panno suos.  
 Vivitur parvo bene,  
 Dulcis & sobolem quies  
 Educat ; nulli dolus  
 Textitur ; nulli fides  
 Frangitur. Templis Apin  
 Numen at colimus pium,  
 Nobilem lateri notam  
 Cornibus lunæ gerens ;  
 Aure non surda preces  
 Excipit : seu candido  
 Ductus ordine gentium  
 Venit ad thalamos piger  
 Memphin, ut fiat sacer :  
 Sive curriculo sibi  
 Constituto temporis

Redit

*Redit ad fontem senex  
Mersus ut tandem mori  
Vulnere excepto queat :  
Seu futura retexere  
Consulenti blandior,  
Nec ferox renuit coli,  
Et cibum placide capit.  
Fata quos modice premunt  
Pauperes, humili casa  
Vigeant, vano haud iuga  
Spiritu montis petant.  
Nactus hanc sortem puer,  
Hac libens moriar senex.  
Sed vox querelis mœsta quæ circumsonat ?  
Romulea tristi turba ploratu suam  
Heram reducit exul, & dextra levat.*



ACTVS

## ACTVS QVINTVS.

CHORVS ROMANARVM. CORNELIA.

Queritur, inter perpetua bella se vivere; deque  
malis illorum:

CHO. **A** Dversa semper fata Martigenam premunt  
Urbem. vetusta lege, lachrymarum sumus  
Dociles abunde. bella nascentem parens  
Edocuit urbem, crevit illa armis ferox;  
Sevitque bellis bella. Geniales thoros  
Viduata linquit uxor, & thalamo virum  
Frustrarequirens, revocat absentem, moras  
Perosa belli, aut hostibus ferro dolet  
Servire vinctum, aut cæde præreptum gemit.  
Vix flore primo deserit patriam puer,  
Et castra sequitur, omnis assidue malus  
Mavors perennat. hoste perdomito plagis  
Longe remotis, pejor exoritur domi  
Hostis rebellans civis, & geminat mala.  
Rite ô precantium aure si facili preces  
Dii imbibistis, tollite eventus procul.  
Male ominatis; vertite in melius, duci  
Magno imminentem, & ultimam gentis luem.  
Cæli per auras mille volitantes aedes  
Hinc, & calentes inde fibrarum notæ  
Deumque fata quot iterum exterrent malis?

CORN. Quacumque sese orbis per immensi plagas

L

Cornelia

Cornelia profert, numen invisum feret :  
 Dardania fatis Roma turbatur meis :  
 Meus iste casus ; gravibus ærumnis mea  
 Vos damna vexant. Vna ego Metelli domus  
 Feram ruinas ; vigeat illa atavis diu  
 Quondam decora. quicquid adversi Deus  
 Pepercit illis, omne fors cumulat mihi.  
 Exilia thalamis mereor, in clades viros  
 Damnata trahere, semper ut viduos lares  
 Servare cogar. Divitem Crassi domum  
 Vix & superbum limen ascendi prior ;  
 Ut grata juvenem junxit amplexu Venus,  
 Repente miser abripitur Assyria manu  
 Moriturus ; illum ficta Parthorum fuga  
 Dolis fefellit, dumque fugientes procul  
 Ferro secutus instat à tergo minax  
 Patrium relinquens agmen, in medium nemus  
 Quæ rara quercus fronde planitiem tegit  
 Devenit, altis qua per umbrosum viget  
 Quacumque ramis, lenis & cedens iter  
 Spatiosam ubique vallis exsolvit viam.  
 Tum versa telis tota Parthorum cohors  
 Repente jaculis mille confossum tegit.  
 Nec ira tamen in cæde barbarica stetit.  
 Informe tabo, exanime & abscissum caput  
 Clamore multo rabida præfixum gerit  
 Late per auras, quaque bellantes videt  
 Cessisse socios, quaque Romanum decus  
 Medius in armis strage multorum furit.  
 Sed quid vetusta conqueror dudum mala ?

Majus

*Majus peractis terret addendum nefas.  
 Sequitur idem Corneliam fatum tuam,  
 O Magne conjux; hostis haud Paribo minor  
 Cæsar cruentus sequitur, & ferrum vibrat.*

## NUNCIVS. CORNELIA.

Cornelia discit à Nuncio cędem mariti fraudulentam; & post lamenta, furore plena, statuit ulcisci facinus, ac tandem marito suo voluntaria commori.

NUNC. **O** Ccidimus: omnis quæ modo patriæ fuit  
 Speranda ferro, periit à ferro salus.

*Non est quod ultra gravior effundat minas*

*Fortuna, vires quando consumpsit suas.*

*Periere cuncta: plena sic saties tenet*

*Tandem malorum, ubi locus haud superest malis.*

*Depone lachrymas turba leviores, juvet*

*Laniare pectus; quisquis exundet cruor,*

*Non ille jussus vulnere immani fluet.*

*Præverte munus hostium, fatum decet*

*Urgere propere, quando remorari nequis.*

*Ne solve sensim capitis impexos diu,*

*Rescinde crines ocius; celeri manu*

*Discerpta circum colla canities fluat.*

*Tuque ô Metelli germen infelix, decus*

*Felicis aulæ, parce dicenti, precor.*

COR. *Non rude miseriis, bene paratum conspicias*

*Per damna pectus: omne concipiens malum*

*Animo præivi; quicquid extremum solet*

L 2

Adeffe,

*Adesse, teneo, triste, miserandum, horridum,  
Crudele, dirum, quodque vix fieri queat.*

*Effare casus asperos : totam rei*

*Expone seriem, ede ; esse me miseram iuvat.*

*NUNC. Ut Magnus hinc abcessit Ausoniae parens*

*Ignarus, urbis unde praesidium suae,*

*Vnde arma peteret, explicans recta gradum,*

*Tandem citatus tendit ad littus prope,*

*Qua nostra classis haeret, adversum ancoris*

*lactis in aequor, tota fidorum manus*

*Vtrinque sequitur, uno & in vultu ducis*

*Affixa, varias mentis observat vices.*

*Non unus ipse, frontis obductae modo,*

*Modo explicatae gemina defigens humo*

*Lumina, silet nunc, nunc per obliquum rotat,*

*Mussatque secum tacitus, incerto rei*

*Dum pendet animo, cernit ex alto ratem*

*Properare cursu ; attollit hic vultum anxius*

*Quid illa portet, dumque cedenti freto*

*Adventat, ad se dexteræ nutu vocat.*

*Ut iussa sistitur socia pinus, refert*

*Infensa, saeva, & oris haud patiens moras,*

*Et dicta dictis implicans, hostem prope*

*Urgere ferro nunciat, gnarum fugæ*

*Viaque, rebus si quod effugium paret,*

*Festinet. Olli dirus in vultu furor*

*Ha sit repente, torvus obliqua polum*

*Intuitus acie, terque supplodens pede*

*Infremuit ore : usque adeo turbatis dii ?*

*Usque adeo sedit ira Romanas opes,*

*Et*

Et libera patrum jura, & omnino pias  
 Delere mentes? ergo vesanæ dolos  
 Tentare cogor gentis. hoc dicto imperat,  
 Rostrata pinus propior accedat solo,  
 Qua vectus, unam, quæ hospitis superest, fidem  
 Exploret. Ecce regio jussu venit  
 Faselus illuc, parvus & sordens situ,  
 Cui turpe veteri putret in ligno latus,  
 Rimis fatiscit, malus in medio tremit,  
 Non bene locatus; tenuis & circumrudens  
 Rescissa stringit vela, & infracti salo  
 Remi pererrant. Hanc ut aspexit ratem,  
 Non regiam, non cultam, & auratis notat  
 Signis carentem, renuit aspectu truci,  
 Pellitque longe. placidus at juncta precæ  
 Invitat illum, & voce submissa rogat  
 Solers Achilles: Non alia pontum secat  
 Quam parva pinus, tenue qua stagnat vadum  
 Et pauper undæ littus, infidum subest  
 Brevisque tractu classibus magnis iter.  
 Excepit aure Magnus haud tuta, sono  
 Mentita blando verba, nec dubius dolum  
 Subesse dictis; ora convertens suis  
 Fatur: Tyranni quisquis ingreditur domum,  
 Servus repente fit, licet liber siet.  
 Hoc foedus aut dissolvat, aut firmet caput.  
 Eat: ergo ponit in cymba pedem;  
 Et rapitur illinc vecta; transcurrit rudi  
 Remo fluentes verberans undas cita.  
 Romana longe classis eventum timens

Herensque in uno immota defigit duce  
 Oculos, & animis prope stat abeuntem sequi:  
 Ast ubi recedens littore adverso appulit,  
 Qua regia adstat sede Niliacus puer,  
 Patuere fraudes subito, & infandum scelus  
 Retexit hospes. Qualis in taurum levi  
 Somno jacentem gemina bellantum ruit  
 Proles leonum, & alter in jugulum ferox  
 Desævit ore, & alter invadens sinus  
 Discerpit ungue; haud ille pugnandi potens  
 Facilis cruentis præda vulneribus jacet,  
 Sic dira circum turba ter ferro petens  
 Adorta Magnum, terga, cervicem, caput  
 Transadigit ense; occumbit exanimis; cruor  
 Et hinc & illinc cæde purpurea fluit.  
 CORN. Discede tellus, scinde tartareo specu  
 Abusque mundum, conde barbariem sinu  
 Late profundo. Tuque dominator freti,  
 Absume diros fluctibus, sorbe impios.  
 Quis hic nefandis horridus monstris locus?  
 Quenam ista regio? Colchis? an campis Scythæ  
 Passim vagantes? ubera Hyrcanæ viris  
 Tigres ministrant? cautibus an horrens magis  
 Emitterit illos Caucasus? quidnam meus  
 Commeruit unquam, & hostibus conjux pius?  
 Quis te calenti ponet elatum rogo,  
 Humoque condet? NVNC. Vna non ejus potis  
 Texisse cineres urna. ut infandum scelus  
 Illuc peractum est; Regis imperio caput  
 Pallens in auro nuper avulsum locant.

Mox

Mox ipse vultu letus excipiens puer :  
 Accede Cæsar, inquit ; hoc gratus tibi  
 Munus paravi ; interim invisi maris  
 Supinus ora truncus extrema jacet.  
 CORN. Hæc ipsa Crassum adegit ad Carrhas lues.  
 Ut fata eisdem sæpe nos urgent malis !  
 Diversa quamvis quisque commutet loca ,  
 Non damna vitat , sequitur huc illuc comes  
 Insana Erinny's. video funestam undique  
 Instare turbam ; liquit horrendæ Stygis  
 Aliquando stagnum dira Tisiphone , comas  
 Impexa turpes anguibus ; multa face  
 Quatiens flagellum tristior Alecto furit.  
 Huc grande rupto nube pallida genus  
 Totum pererrans fœdat ætherium decus.  
 Vidi ipsa thalamis improbas quondam meis  
 Præire furias. tam Cornelie nocent  
 Connubia terris ? ergo tot perdens viros  
 Superero monstrum ? ergo non pœnas luam  
 Tandem malorum ? trahere per ardentem aquas  
 Acherontis imi, merge Cocyti vadis  
 Me me nocentem ; pone flammanti ream  
 Phlegethontis alveo ; adjunge pœnarum mihi,  
 Megæra, quicquid noxias animas premit.  
 Cessas ? mihi uni parcis infense pia ?  
 At cessa, & ingens pœna tunc vitæ datur  
 Satis cruenta, quando stat votum, mori :  
 Vel ipse leto vinceret vultu meam  
 Conjux decorus pœnam, & ipsam judicis  
 Molliret iram : ô ego per inferni loca

Elysia

*Elysia ditis raperer ! ô tecum ferus  
 Me quoque tulisset ensis ! NVNC. Infidi hospitis  
 Linqnatur oracitius, & celeri fuga  
 Abiisse liceat, concita celerem gradum,  
 Effugia classis præbet undanti freto,  
 Iam vela in altum laxat, & cursum ciet.  
 CORN. Ibo, ibo, & ipsum regis inuisi caput  
 Adoriar armis ; ibo, & evellam manu,  
 Hiante ab ictu, atque perfosso sinu  
 Cruenta regis corda ; fœmineas quoque  
 Delectat usque sanguis & ferrum manus :  
 Vnaque nec unum facinus aspiciet dies.  
 Vlciscar ipsa scelus, & incurvo fremens  
 Scrutabor ungue pectus, & quicquid subest  
 Præcordiis, id omne discerpens, cavas  
 Tractabo sedes dextera ; & laceri sitim  
 Sedabit hostis multus arentem cruor.  
 Mox ulta cædes, tela convertam libens  
 Nostroque figens pectori, concors viro  
 Romana mulier propior exstincto cadam.*

ACCLA-

## A C C L A M A T I O N E S.

*In Maximi Viri*

P H I L O M V S I

M V S A S I V V E N I L E S.

**I**Tala gens, Batavos quæ quondam Martia fratres  
Imperiique tui socios erecta vocasti ;  
Iam Batavos vatum socios fratresque tuorum,  
Post tot secla, voca. Cirrha concludimur una,  
Pegaseisque simul populi conspergimur undis,  
Et Phœbi communis amor nunc incitat acrem  
Ausoniam, nunc vult Musis adsuescere Belgam,  
Dum Latios Arctoa vehunt præconia patres,  
Nostraque Senensi applaudit fiducia vati.

Illustris PHILOMVSE, tuæ generosa loquelæ  
Verba placent ; seu per grandes angusta cothurnos  
Sensa rapis, lenique elegos diffundit ab ore  
Calliope, seu per Lyrici modulamina cantus  
Vectus honoratam compellat purpura Romam,  
Et magnis fatur patribus, patrumque cathedræ  
Annuit, & summis Vrbanum destinat astris.  
Prisca superstitio, venerandi nescia Christi,  
Infames tonat ore Ioves, Venerisque profanus  
Perstrepit illecebris Helicon, mentitaque multum  
Pagina Pieriam meruit decerpere laurum,  
Et lethi calcare domos. Hoc sanctior ævo  
Nascitur Aoniæ felix opulentia venæ,  
Et gaudet meliora loqui. non fabula vati  
Priamides canitur, fictæque insanus Elisæ  
Æneæque furor, vel versæ in corpora formæ.  
Longe alios vultus Italûm sapientia terris  
Exhibet, & totum pietas facit ipsa poëtam ;  
Canaque religio, Clariis dum splendida fulget  
Artibus, atque alte Phœbeos imbibit ignes,  
Sacrosancta canit, solumque in carmine mutat  
Materiam, & studiis Senam cœlestibus implet.

M

Felix

Felix Sena viro, quem cum produceret Orbi  
 Tot vatum Lucina parens, sua flumina large  
 Castalii fudere lacus, risere Camœnæ,  
 Et teneræ cœpere hederam prætexere fronti,  
 Et melius posthac nobis promittere carmen;  
 Miratæ puerile decus, lususque juventæ,  
 Et consummati roburque & numen ephēbi.  
 Legi grandis epos Bembi: placuere furores  
 Naugerii, Strosæque patris, magnique Maronis  
 Æmula Sinceri rabies. post illa, labantes  
 Restituis, Philomuse, Deas, patriæque poëta  
 Infers immortale jubar. Tibi sufficit una  
 Ad famam validis animosa Tragœdia nervis,  
 Et fatum, Pompeie, tuum. quem Corduba Magnum  
 Dixit, Sena facit magnum, & dum damnat Achillam,  
 Voces pro Latio & pro te, Romane, loquentis  
 Approbat, & generi defendit mascula causam.  
 Quæ, si non Superis, saltem placuisse Catoni  
 Creditur, &, si non armis, ratione triumphat.  
 Hæc te scena dabit seculo. quantum illa meretur!  
 Quam cerni vult luce palam! quin pulpita scandis  
 Itala & orchestram conjux Cornelia pulsas?  
 Indignata tui crudelia fata mariti,  
 Decussumque caput Romæ, quo tota cadente  
 Libertas collapsa fuit, fœdoque Quirites  
 Servitio sensere suæ dispendia culpæ,  
 Et fidas acuit Bruti vindicta feroces.

Magne vir, his olim cœptis agnoscimus omnes  
 Ingenii momenta tui, juvenisque virile  
 Condis opus, tragicoque exurgis clare teatro.  
 Dic juvenes Musas, quas mecum dicis adultas,  
 Phœbe pater, senique graves prævertere curas.  
 Hæc ævi fors læta mei est, spectare potentum  
 Carmina Pieriasque faces. nunc esse beatam  
 Auguror Italiam, cum te Respublica vatem  
 Repperit, & grandi rerum prudentia causæ  
 Applicat, & tali vult sub rectore pacisci,  
 Bellorumque truces furias componis Apollo.

C. BARLÆVS.

*Amænio-*

**A** Mœniores, otia temporis  
 Ablego, Musas accipe, debiti  
 Testes amoris; & benigna  
 Fronte meos, Philomuse, plausus.

Te nominata mentis origine  
 Phœbus beavit, non sine plurimum  
 Favente voto; cui decorem  
 Addit honos, & amica virtus,

Et Tulliani gratia fluminis  
 Ætate firma: Rurtius, amulus  
 Virtutis, expertæque fama,  
 Sape tuum genium procatur.

Quæcunque cudis, seu, juvenilibus  
 Immersus umbris, oculis aureo  
 Sub vere fortunam juvena;  
 Pressa cluet radiatque virtus.

Fœcunda pleni curia pectoris  
 Ubique lucet; digna Quiritibus,  
 Romana spiras, & togata  
 Arte potens, pietate clares.

Fallorne? nuper gratia Numinis  
 Donavit Orbi; cui Tiberis annuit,  
 Et omnis asseclam decori  
 Roma diu sibi nuncupavit.

Salo innatantis quem sinus insula  
 Remisit agre per pelagi minas,  
 Excepit Agrippina, gratum  
 Principibus populoque pignus.

Miratus Ister, cum reliquis aquis,  
 Quas Rhenus amplo concipit alveo,  
 Leni susurro detumescens  
 Subsiliit, vitreoque flexu

Collisus amnis dulciter ingemit;  
 Applaudit undis terra sororibus,  
 Qua vitifer Mosella late  
 Pampineos opulentat agros.

Rhenus, profuso sanguine decolor,  
 Assurgit alto murmure: sæpius,  
 Qui discupitam offert olivam,  
 Ingeminat, Bene vivat hospes.

Anfractuosa tadia post viæ

Metam assequutus, (totus inhorreo,)  
 Pallere cœpit, acribusque  
 Torminibus Philomusus ardet.  
 O penè nostris erute sedibus!  
 Lentone sic jam corpus amabile  
 Torques duello, dum meatus,  
 Lithiasis, violenta stringis?  
 Planxere Muse; prodroma gratia  
 Pax alma luxit: dextra Machaonis  
 Rigebat, obsitumque pœnis  
 Indoluit mage te ferire.  
 Tu mente forti, natus ad ardua,  
 Et ampliori dignus adorea,  
 Interritus, virtute summa,  
 Attiliis documenta prabes.  
 Intaminati pectoris incola,  
 Constantia ardor, calitus insitus,  
 Confregit armatos dolores,  
 Ut dubiis Cynosura rebus  
 Magis niteres: scilicet aurei  
 Bóni expetentem prona poposcerat  
 Europa, venturumque plenis  
 Fama tubis decus intonabat.  
 Gens VVitekindi, diis placidis potens,  
 Armata perstas. ô utinam ferox  
 Sedetur hic Bellona, ferrumque  
 In Mahometigenas recudat.  
 Exsurge pacis prome, nefarias  
 Elide cædes, Romulidum pater;  
 Gothusque, Liliunumque, Iberque  
 In stabilem coëant quietem:  
 Et quidquid ultra littora Balthici  
 Sinus in oras Teutonis aestuat,  
 Iungatur Austro; perpetique  
 Connubio sibi fœderentur.  
 Sic nos beatos cernere, Rurtio  
 Tuo liberet; ludicra texerem &  
 Roseta; blandiarque parva  
 Fronde tuis, Philomuse, lauris.

I. RURTIVS.

IN VO.

## IN VOLVMEN HOC POEMATVM.

**S**eu te cura vetus retinet, non dicier, Hic est;  
 Nomine, siue placet, nolle placere tuo:  
 Euge tamen, nos, cura recens tua, dicimus, Hic est:  
 Quisquis es, Aoniis digne libelle Sophis.  
 Ergo vel Amstelio te trade nec agnate celo,  
 Quin tua dic vel aquis, dic abolenda focus.  
 Non sinat hoc, numeris liber annumerande Maronis,  
 Tota Hippocrenes Cæsaris urna chori.  
 Ipsa vetat, seu Bilbilico siue æmule Flacco,  
 Gloria Maphææ non moritura lyræ.  
 Quam iuvat, & volupe est in vate inquirere vatem,  
 Atque verecundam noscere velle sitim,  
 Qua sacrum largis siccat Permessida labris!  
 Quamque pium, famæ non dare vela suæ!  
 Docte Catulle, argute Tibulle, proterve Properti,  
 Vos vates, nobis, garrula amica dedit:  
 Utque suæ vires ferret roburque Thaliæ,  
 Quondam Bilbilico vox ea, Da, quod amem.  
 Non ita: sed, victura fones ut plectra, libelle,  
 Vox tua personuit, Da, quod amo, Tacear.  
 In laudes, Philomuse, tuas, amor ibat & ardor:  
 Ast tacitum ut redames, do, quod amas, Taceo.

I. R. INGELIUS.

M 3

Magno

**M**agno superbiat Marone Mantua,  
 Nasone Sulmo, Horatio Venusia:  
 Verona nec minus Catullum jactitet,  
 Vmber Propertium, atque Aquinas Iunium:  
 Suamque Martialis acer Bilbilin  
 Celebret, Annaique syrma Cordubam.  
 Turrita Sena vicit omnes unica;  
 Miraculi quæ sic parens, ingentia  
 Tot sidera in sidus coegit unicum.

Et sidera hæc nugis tamen turgent meris.  
 Senense sidus at merum fundit jubar  
 Virtutis omnis atque sanctimonia.  
 Quanto illud ergo majus istis omnibus!

Et sidera hæc summo tamen conamine  
 Replere passim nominis fumo sui  
 Mundum, dare & valde in stuporem, quaritant,  
 Ac fabulosos inde vendunt Orpheos.  
 Senense nullo sidus at negotio  
 Fulgoris ut prædivitem explicat penum,  
 Encomium nec ambiens, omne invenit,  
 Multos creatque Abramidas è rupibus!  
 Quantum illud ergo præstat istis omnibus!

Et sidera hæc agunt id unicum quoque,  
 Per otium, florentibus rebus suis,  
 Leporis atque exuberante flumine.  
 Senense sidus at labores arduos  
 Exantlat ô quam, publica bono rei,  
 Nec unius gestat simul morbi crucem,  
 Nec inde desinit tamen sic jugiter  
 Et Numinis cantare dona, & interim  
 Scienter & concinne & apte ludere,  
 Ignobilem & mortalium ac rudem gregem  
 Sanctissimis incendiis involvere,  
 Et exules, periclitantes plurimum,  
 In patriam suaviter conducere!  
 Non præstet ergo sidus isthoc ceteris?

Magis facestant hinc minora phasmata,  
 Chiorum Homerus, & Sophocles Atticus,  
 Ascreus &, Thebanus atque Pindarus.  
 Senense multo sidus hisce grandius:  
 Senense multo sidus hisce illustrius:

Senense

*Senense multo sidus hisce augustius.  
 Vin hisce digniora longe sidera?  
 En, cantico quam præ Sibyllis nobiles,  
 Virago Debbora, illa litium arbitra,  
 Et Samuelis Anna mater inclyta!  
 Quantus poëta legifer Moses vetus!  
 Quam fulget heros optimus Iesseides,  
 Nec non pereruditus ejus filius!  
 Regina quam sublimis at vatium omnium,  
 Desponsa Regi maximo regum omnium,  
 Integra virgo, mater & Christi tamen!  
 Senense sidus inter isthac sidera,  
 Cum Barberino, jure supremo, micat.  
 Sed Rurtius, sed elegans Ingelius,  
 Sed sceptræ Barlaus tenens in vatibus  
 Vnus Batavis, entheus, multissimus,  
 Senense demum sidus istud cantitent,  
 Plaudentibus Phœbo & novem sororibus.  
 His Nicii, his Baldi, atque Sarbievii,  
 His Hesi, his & Masculi, & Sibenii,  
 Ogerique, Francia magnum decus,  
 Cultissimique ad Scaldin Hemelarii,  
 Erycii quin & Lovaniensium,  
 Et dulciores melle Blittersuicii,  
 Meusque Amandus, Flandrici lumen soli,  
 Mireque Graius eminens Allatius,  
 Ac ceteri, qui sunt ubique gentium,  
 Musarum alumni, insignium lectissimi,  
 Alacriter juncta manu, ferant opem:  
 Chelys lyraque exaudiantur; insuper  
 Tubisque tympanisque cuncta personent;  
 Responsitetque totus orbis undique,  
 Reddentibus sylvis modos ac montibus.  
 Corvina gens ne misceat se oloribus.  
 Meum est, stupentem sideri immorariet.  
 A me optimum est præconium, silentium.*


BARTOLDVS NIEVSIVS.  
 Id. Sextil. CIO IDC XLV.


CORRI-


## C O R R I G E N D A.


Pag. 3. lin. 18. legatur *siderea*. p. 6. l. 9. pro *scias*, sic scribe *suas* sic & l. 14. scribe *Felix*, quia nomen ibi proprium est. p. 11. post lin. 13. quod succedit Epigramma, signetur numero IX, & mutantur numeri deinceps omnes. p. 16. l. 13. lege *Vissum*; p. 23. l. 15. post *soporis* ponatur punctum finale. p. 34. l. 4. scribe, *Tassonæ*, l. 10. pro *Conradi*, *Comachi*, & l. 16. *Tristia*. p. 38. lin. 7. lege *Gaibana* p. 44. lin. 3. scribe GHERARDI p. 52. l. 25. spatium sit ante *Divum*. p. 62. l. 13. pro *quaque* lege *quamque* p. 70. l. 2. *campos*. p. 78. l. 13. pro *mistens* lege *simulans* p. 91. l. 18. pro *vocat* scribe *vacat*, p. 106. l. 24. lege, *Vates remotis huc vocantur*. p. 107. l. 17. scribe *nocentes*. p. 115. l. 6. *Gherardi*. p. 117. l. 12. *Cautus &*. p. 126. l. 4. pro, *suos*, lege, *suorum*. & l. 14. pro *atque dii* lege *diique vos*. p. 144. l. 23. *Adeo usque*. p. 146. l. 1. deleantur hæ duæ voces, ACTVS TERTIVS. p. 154. l. 17. pro *re* scribe *te*.


F I N I S.




















BOLLANDI  
S. LIBORII  
ANNO 1643.

PHILOMATHI  
MUSEI  
LES

11  
30

Th  
5844